

R
1269

~~405~~

ESTIOA

R A 6122

~~205~~

De Mediis
Introducendi
Philosophiam eclecticam
Cogitata
MICHAELIS DAU,
in Reg. Dorpat. Acad. P. P.

Adjecta est ob affinitatem
argumenti

Dissertatio

Johannis Ludovici Vivis

De
Vita & moribus eruditi.

DORPATI,
Excudit JOHANNES BRENDEKEN;
Acad. Typograph.
A. 1695



S. R. M. ^{tis}

Maximæ Fidei

VIRO

SENATORI, CAMPIDUCI,

Livoniæ, & Civitatis Rigensis Gubernatori Generali, ut & Cancellario Academiae

Dorpatensis

ILLUSTRISSIMO HEROIET

DOMINO

JACOBO JO-

HANNI HASTFER,

Comiti de Greiffenburg, Lib. Baroni de

Wibsholm/Domino de Glastorp/

& Siggestad/ etc.

Domino meo Gratosissimo

Salutem & felicitatem.

Est.

1713 Stomatukog

Illustris-

6373

139509345

Illustrissime Comes,
Domine Gratosissime.



Uæ intra ani-

mi mei angustias hæctenus

se continuit Gratia Tuæ in-

gentis Benignitatis que admiratio, in

publico tandem comparere debe-

bat, & iis quoq; manifestari, qui for-

tasfis ignorant, te non belli solum ar-

tibus delectari, sed literarum quoq;

cultores, prono complecti favore,

& amplissimis ornare beneficiis. Mi-

hi certè, licet immerenti, ex quo pro-

vinciæ huic gubernandæ, per Cle-

mentisimum Regem nostrum Di-
vina Te præfecit providentia, tot
contulisti beneficia, tot ornamenta
conciliaſti, ut iis dignè ſatis deprædi-
candis me imparè prorsus eſſe profi-
tear. Facio tamen quod poſſum,
dum quod volo & debeo, viribus
meis ſuperius eſſe deprehendo. Neq;
vero Tu Illuſtriſſime Comes, quæ
eſt animi Tui magnitudo, ab illo de-
bitore Tibi penitus ſatis fieri postula-
bis, qui, cum ſe nexu mancupioq; Tu-
um eſſe agnoſcat, deq; referenda ſal-
tè ex parte gratiâ prorsus desperet,
ſigno tamen aliquo teſtatum facit,
quantoperè gratum ſuum animum
Tibi probare geſtiat. Accipe pro-
inde Comes Illuſtriſſime ſerena fron-

te, præ-

te, præſens, quod Tibi demisſiſſimè
offero manuſculum. Chartaceū eſt
fateor, & ſi ex multitudine donaria
ejuſmodi æſtimanda ſunt, vile pror-
ſus & exigui pretii: Sed ſi argumen-
tum ſpectes, non, quâ curâ à me tra-
ctatum eſt, ſed qua, tractari debebat,
non omninò indignū, quod Illuſtriſſi-
mum Tuum Conſpectum ſubeat. E-
am enim tangit Reipublicæ partem,
quâ florente, ſuiſq; munitâ præſidiis,
firmiſſima eſt baſis illa, cui innititur
Politia, Eccleſia, & ſors cujuſq; pri-
vata. Quod ſi igitur, inter ardua illa
quibus quotidie diſtineris negotia,
his quoq; cogitationibus non nihil
tribuere temporis allubeſceret, quæ
circa Reiliterariæ incrementa occu-

pantur, à situ haud dubie vindicares
litteras penè fugientes & Patriam ca-
rissimam beneficio Tibi obstringe-
res, quo vix aliquod majus cogitari
potest. De voluntate Tua propensis-
simâ, sicut dubitare nefas; ita faculta-
tem quoq; & media suppeditabit Di-
vinum Numen. Quod ut Te Celsis-
sime Comes cum Illustrissima Con-
juge & familiâ sospitem & rebus o-
mnibus florentem, quam diutissime
mortalium coetibus interesse patia-
tur, assiduè precabitur.

Illustrissimæ Excellentiae Tuæ

Clientis Devotissimus
Michaël Dau, P. P.

Ad Benevolum Lectorem
PRÆFATIO.

Qui de Philosophandi libertate disquirunt, non ad e-
undem scopum collineant omnes. Quibusdam adeò frons o-
mnis perit & debita creatori pietas, ut more gigantum cœ-
lum oppugnare, & quod natura penitissime infixit mortalium menti-
bus, eradicare prorsus execrabilis suâ Philosophiâ contentur. Hoc enim
ipso genuina sapientiæ cultores se prestare satagunt, quod eximio rati-
onis dono in Dei opprobrium, suum aliorumque æternum exitium a-
butantur. Quale hominum genus intra Ecclesiam esse, & Christia-
norum nomen sibi arrogare, nescio utrum indignationem majorem
mereatur, an commiserationem. Alii, cum pii satis sint, & sacro-
sanctæ scripturæ autoritatem nullatenus labefactent, eam tamen in-
gredi philosophandi rationem videntur, quæ confusionem secum tra-
hit & barbariem. Veterum enim Philosophorum imò & recentium
placitis vix obiter perlustratis, propriam sibi comminiscuntur sapien-
tiam. Quos novatores & turbones pro merito castigavit meritissi-
mus Jacobus Thomasius in Dissertat. 39. adversus Philosophos liberti-
nos. Sunt denique, quibus ea philosophandi libertas placet, quæ nec
oraculis divinis quicquam detrahit, nec aliorum philosophorum exi-
stimationi, sive veteres illi sint sive novi; eamque adeo sibi legem di-
cit, ut rejectis quæ impia & apertè falsa sunt, ea solum amplectatur
quæ Dei gloriam, intellectus humani perfectionem, Scientiarum in-
crementa, publicam denique felicitatem promovent. In horum me nu-
mero esse vel saltem haberi velle præsens declarabit dissertatio. In
qua quidem illud imprimis displiciturum quibusdam prævideo, quod
juventutem ad Eclecticam philosophiam duci velim, quæ virili demum
ætati conveniat; quemadmodum censent omnes, qui ejus naturam
perspectam habent. Unde & summus Vir Johan Gerb. Vossius in E-
pist. 31. scribit: Adolescens in unius Aristotelis verba jurabam ætate prove-
ctior sæpe excedere cœpi e Lyceo, meque contuli vel in Academiam, vel in
porticum

²
inventa erant obliterentur. Nimirum paucitas eorum quibus serio & constanter philosophari placet, cordatioribus meritabilem movet, ut impensius nonnunquam dolere cogantur, rem omnium præstantissimam eo loco haberi, à plurimis, quo vix artes fellulariæ, quas Græci vocant *βαυύσες* & *χειρωνα κλίμας*. vid. Woverus c. 3. de Polymathia. Non libet hic longam testimoniorum seriem texere, quibus indignitas rei demonstrari potest. Sed unicum modo locū ex Cic. lib. 1. defin. bon. & mal. adducam: *Quibusdam, & iis quidem non admodum indoctis totum hoc displicet philosophari. Quidam autem id non totum reprehendunt, si remissius agatur, sed tantum studium, tamq̄, multam operam ponendam in eo non arbitrantur.* Quo nescio an quicquam dici potuerit temporibus nostris convenientius? Flebilis enim proh dolor! experientia testis est, vel omnino negligi rectum philosophiæ studium, vel ita frigide tractari à plerisque, ut ex sapientiæ fluminibus bibant, tanquam canes ex Nilo. Prodigio autem res similis videri queat, quod tam paucis arrideat res omnium pulcherrima, præsertim cum teste Plinio lib. 2. ep. 10. *insitum sit mortalibus studium magna, & inusitata noscendi vel ut Arist. loquitur lib. 1. Metaph. pr. c. 1. πάντες άνθρωποι τῷ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει;* Quam sententiam latius explicat Cicero lib. 5. de Fin. bon. cujus verba cum sint pluscula, huc transcribere nolumus. Causæ igitur non leves sint oportet, quod rari admodum inveniantur sectatores studii jucundi utilius honestissimi. Quarum præcipuas cum in seqv. opusculi hujus capitibus indicaturi simus, simulque ostensuri, quomodo tolli illæ possint, aut saltem minui, hoc loco illas non tangemus. Quan-

³
Quanquam verò contemnatur, vel remissius Ejus summa necessitas. saltem tractetur philosophia: manet tamen ejus summa necessitas. Si enim Philosophia nihil aliud est, quam perfecta earum omnium rerum scientia, quam homo nosse potest, & quæ Vitæ ipsius regula sit, & artibus omnibus adinveniendis interserviat, docente Antonio le Grand in Præcogn. Instit. Philosoph. nullus utique Vitæ humanæ status est, nullus in Republica & Ecclesia ordo, qui illius auxilio non indigeat. Hinc apud Diogenem Laërtium lib. 10. in Epist. ad Menæceum p. m. 654. non malè Epicurus: *μήτε νέω, τῶν μὲν μελέτω φιλοσοφῆν, μήτε γέρον ὑπάρχων κοπιᾶτω φιλοσοφῶν. ἔτε γὰρ ἀνεύθεις ἐστίν, ἔτε πάρωρτος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν. ὁ δὲ λέγων ἢ μήπω τῷ φιλοσοφῆν ὑπάρχειν ἄρα ἢ παρεληλυθῆναι, τὴν ἄρα, ὁμοίως ἐστὶ τῷ λέγοντι, ὡς εὐδαιμονίαν ἢ μὴ παρῆναι τὴν ἄρα ἢ μηκέτι εἶναι. ὡς φιλοσοφῆσι καὶ γέροντι καὶ νέω. τῷ μὲν, ὅπως γηράσκων νέαν τῷ ἀγαθῷ, διὰ τὴν χάριν τῶν γεγονότων. τῷ δὲ ὅπως νέω αἶμα καὶ παλαιός ἢ διὰ τὴν ἀφοβίαν τῶν μελλόντων. μελετᾶν ἔν χρεῖται ποιεῖν τὴν εὐδαιμονίαν εἴπερ παρῆσθαι μὲν αὐτῆς, πάντα ἔχομεν, ἀπέσθαι δὲ πάντα πείθουμεν, εἰς τὸ ταύτην ἔχειν.* h. e. Neque Juvenis quispiam dum est philosophari negligat, neq̄, senex cum sit, philosophando fatigetur. Neq̄, enim quisquam aut etatem non attigit, aut etatem excessit, ut ad animi sanitatem contendat. Qui autem dicit aut nondum philosophandi tempus esse, aut tempus præterisse, ei similis est, qui dicit ad beatam Viam aut non ad esse tempus, aut non amplius esse. Philosophandum igitur & seni & juveni. Illi quidem ut senescens in Virtutibus vigeat præteritorum gratiâ, huic ut juvenis una & vetulus sit, ut futurorum careat metu. *Meditandum ergò qua faciant beatam Vi-* tam.

4
eam. Siquidem si adsit omnia suppetunt, si vero absit, agimus omnia ut illam habeamus. Ex quibus verbis manifestum est beatitudinem fructum esse philosophiæ. Hanc autem quis non appetit? Quis non ita animatus est, ut conditionem suam si non felicissimam, at feliciorē reddere gestiāt? Id vero sine philosophiæ studio consequi non licet, iudice Epicuro. Quem quidem hic audiendum esse puto, ipsi relicta, vel saltem sequestrata beatitudine, quam vel ille vel sequaces ejus sibi propositam habuerunt. Negari certe nequit, hominem ἀφρόνοπον & sapientiæ sacris nondum initiatum miserum esse animal, & tot calamitatibus obnoxium, ut si quis illum cum bruto conferat, huic quædam prærogativa deberi videatur. Brutum enim nullum à seipso incommodum, nullam molestiam habet. Quicquid illi adversi contingit, extrinsecus advenit. At homo verâ sapientiâ destitutus non solum externis premitur & affligitur miseriis, sed a semet ipso & intra animum suum tot tantaq; incommoda patitur ut hanc lucis usuram sibi tædiosissimam esse experiatur. Hinc intellectus cæcitas vel phantasmata veri specie deludentia, illinc voluntatis ἀταξία affectuū impetus vehemensq; perturbatio lernam malorum invehunt, & animum curis sollicitudineque fatigant. Et hoc quidem, quamdiu adhuc igniculi Virtutis non prorsus extincti sunt, quos ipsa Natura accendit. Cum verò omnem veri honestique sensum exterminare conatur, & ab humana Natura veluti degenerat, non solum in eo bestiis deterior est, quod hæ ratione uti nequeant, ille nolit, sed etiam quod bruta animantia nulli sint offendiculo

& ne-

5
& neminem reddant deteriorem: ille autem qui professum quasi hostem agit sapientiæ, & virtutibus omnibus bellum indixit, adeo turbet pessimis suis exemplis societatem humanam, ut carcinoma, vel si quid abomina bilius dici potest merito sit habendus. Tantis igitur malis remedia adhibet philosophia, non ea solum quæ malum arcent & repellunt, sed quæ etiam purgant animum à Vitiis, & à defectibus illis liberant, qui infelicitatem habent Comitem. Pulchrè Seneca Ep. 16. *Philosophia animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum, sine hac nemo securus est.* Gemina his habet Cicero l. i. de fin. bon. *Sapientia una est, quæ molestiam pellit ex animo, quæ nos exhorrescere metu non sinit, quæ præceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto.* Ut proinde non sine causa beatum pronunciaverit Plato, cui etiam in senectute contingat, ut sapientiam verasq; opiniones consequi possit. Sicut igitur mala ista quæ studium philosophiæ negligentibus incumbunt, sunt universalia, ita etiam omnes ad sapientiæ studium confugere debent, qui illis liberari cupiunt & ad felicitatem illam adspirare, cujus desiderium cuius est naturale. Paradoxum hoc videri potest multis, quibus persuasum est, non nisi certis hominibus philosophandum esse. Nimirum hoc jam plurimum seculorum consuetudine inolitum est animis Mortalium, certos esse in quavis Republica debere, qui sapientiam professi separatim quendam cœtum constituent a ceteris & statum quasi peculiarem forment. Quam consuetudinem

A3

num

6
num approbet sana ratio vehementer dubitari potest. Equidem in Politis certis hominibus demandandum esse Munus docendi sapientiam & artes necessarias nemo sanior negaverit: Sed propterea nemo ne vilissimus quidem argeri debet ab illis contemplationibus, quæ intellectum perficiunt & appetitum utrumque refrænant & coercent. Nisi forte dicendum sit, proprium esse cuilibet homini, sanam habere rationem, sed usum rectæ rationis non cuivis esse concedendum. Recte omnino monet Cl. Thomasius cap. 1. §. 12. 13. 14. doctr. Logices. ubi de Eruditione in genere agit, quod quamquam post lapsum fieri non possit, ut omnes homines docti fiant, opera tamen illis danda sit, ut ex ignorantia sua elucentur, quò sic suam aliorumque felicitatem promovere possint. Videntur hoc in Animo habuisse Philosophicæ Facultatis in Academiâ nostrâ Professores, qui postquam Gloriosissimæ Memoriam Rex GUSTAVUS ADOLPHUS An. hujus seculi 32. Academiam hanc fundasset, in margine Sigilli Sui hæc insculpi verba curarunt: PHILOSOPHIA SOL MUNDI. Veteres illi philosophi, quanquam omnes ferè ambitione turgidi, & invidiæ pleni, hic tamen rectam instituisse viam dicendi sunt, quando Auditores suos in *ἰσοπαρισ* & *ἕξωπαρισ* distribuerunt, & hos quoq; certo tempore in rebus maximè necessariis instruxerunt: Proponemus hoc verbis Cl. Zeidleri ex §. 8. tr. de gemino. Veterum docendi modo. Ubi *Et sanè*, inquit, *utriusque generis hominibus jam inde ab initio consulere voluerunt Veteres sapientes, & quidem istis non tantum in ἐντιύξεισι, quales in conviviiis, aliisque publicis conventi-*
bis

bus fieri solent, sed & in auditoriis suis, in qua certo tempore & vulgares homines intromittebant. Hac enim ut ex historiis accepimus, priscorum sapientum laudabilis erat consuetudo. Abdita quidem & *ὑψηλῶν* sive secretiora solis domesticis *ἢ ἀπορρητοῦς* sive secretioribus locis tradere solebant, ne incapaces & profanum vulgus philosophica dogmata risum jocumque facerent, nec universæ natura traderent secreta. Atque hoc ferè præstabant horis matutinis. Pomeridianis in auditorio aperto quosvis è plebe sine discrimine admittebant, atq; de illis rebus quos vulgus Philosophorum sentiret, non quas ipsi reperissent veras, sermones faciebant verbis & rationibus ad Auditorum captum accommodatis. Exemplis quibusdam hoc probat §. 10. & 11. Confer. Scheferus cap. 10. & 11. de Nat. & Constitut. Philosoph. Ital. Quod de verbis & rationibus ad Auditorum captum accommodatis refert Zeidlerus, laude omnino dignum est, sed num in illo se ostenderit Philosophos, quod de rebus ex aliorum philosophorum mente differuerint non quas ipsi veras reperissent, aliorum esto iudicium. Nimis apertè prodiderunt hic, ut paulo ante diximus, factum & invidiam. Enimverò ut gradus in sapientia & sapientibus libenter concedimus, & nonnulla ignorari possunt & non nunquam debent: ita dicis tantum causa de rebus disquirere, vel apparenter vera pro Veritate ipsa obtrudere velle à Philosopho quam maximè alienum esse arbitramur. Illius enim est magna cura & studio indagare non solum, sed etiam propagare Veritatem, Optimè Plato in Epist. 7. τὸ ἀληθὲς δεῖ φερίζειν. quod lib. 6. de Repub. pag. m. 873. ita explicat. τὸ γὰρ μὲν δεῖν ὀρθὸν καὶ ἀληθὲς εἶναι πάντως βέλτιον. Id videtur edoctus esse à Præcepto-

ceptore suo Socrate, in quo præter multa alia laudat Xenophon lib. 4. de dictis & factis Socratis, quod minimè Auditores turbarit argutis sed clarissimè & simplicissimè omnia illis exposuerit, quæcunque opinabatur hominem oportere scire ac in eis studere. *Non enim, inquit, subtile & industries & ingeniosos efficere suos auditores festinabat, sed ante ista putabat oportere moderatos eos facere, cum eos qui absq. moderatione in huiusmodi valeant, magis injuriosos arbitretur ac potentiores ad male faciendum fore.* In quo utinam hodiè illum imitarentur Philosophi omnes.

*Quid Vere
Philosophia
nomine sit
intelligen-
dum.*

Magnis igitur bonis genus humanum beat philosophia, sed vera illa & genuina, non putatitia, quæ externis magis iudiciis quam interno testimonio acquiescit. Multum profecto interest discrimen hoc cognovisse. Nam multi vanâ sapientiæ specie seduci semet patiuntur. Nihil enim magis errorem hunc gignit, quam quod ut Horatius ait de arte poëtica: Decipimur specie recti. Quo magis opera danda est, ut nobis vera illa philosophia innotescat, quæ, ut ait Cicero lib. 4. Tusc. Quæst. ex rationum collectione constat, & à qua si boni & beati velimus esse, omnia adjuncta & auxilia petamus benè beateque vivendi. Hanc si sequamur Duce[m], & secundum illam Vitæ cursum dirigamus, nihil tam temerarium tamq[ue] indignum existimabimus, quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratum perceptumq[ue] sit & cognitum, sine ullâ dubitatione defendere. vid. Cic. lib. 1. de Nat. Deorum.

*Solam eccl-
tiam hoc
nomine di-
gnam esse.*

Quam nunc delineavimus philosophiam, nullam aliam esse, quam eclecticam certum est, quippe quæ

9
quæ nulli se addicit homini in nullius verba jurat, sed ea libertate utitur, quam cuique concessit DEUS, multa aliis tribuit, aliquid & sibi. Optime enim Clemens Alexander lib. 1. Stromat: *Philosophia nec Stoica est nec Platonica vel Epicurea & Aristotelica, sed quæcunque, ab his sectis recte dicta sunt (quæ decent iustitiam cum piâ scientia) hoc totum selectum dicendum est Philosophia.* Hanc ipsam licet sectati sint omni ævo Viri præstantes, quales Cicero, Seneca, Lactantius, & ipsi sectarum Autores; nostra tamen præsertim ætate illa caput efferre videtur, ut jam non facile inveniantur in poliori Orbe Europæo locus, ubi non floreat Viri, veræ hujus sapientiæ amore incensi. Postquam enim incomparabilis Verulamius suos de augmentis scientiarum libros & novum organum quod vocat, cum Orbe erudito communicavit, paulatim Viri docti jugum sectarium excutere cæperunt, & Monarchicum illud in Philosophia regimen liberius taxare. Hoc solum optandum esset, ut quod nunc pauci agnoscunt, paulatim omnium illorum Mentibus penitus infingeretur, quibus vel Ecclesia vel Respublica in partibus suis est concedenda. Non exigui momenti rem esse, quam flagrantissimo voto expetimus, quivis ultro largietur, quem non excæcarunt præjudicia, & sincerus cepit Veritatis amor. Conabimur hoc pro Ingenii modulo planum facere & eò annitemur, ut quæ obscura nonnullis visa sunt & dubia, quodammodo illustrentur. Fatemur quidem argumentum hoc alios jam occupasse, inter quos præsertim nobis innotuerunt magnum Acad. Altorfinæ decus Johannes Christoph Sturmius & celeberrimus in

*Ejus pro-
prietates.*

*¶ Videre
non quis,
sed quid di-
cat.*

Francofurtanâ Universitate Professor Arnoldus Wesenfeld, qui, quæ à Cl. Sturmio vel prætermiffa erant, addidit, vel obiter tantum memorata, uberius & luculentius proposuit; Sed cum de re maximè necessaria non crebrò neque multa nimis dici possint, non erimus reprehendendi, si nostram huc quoque Symbolam conferamus, & iteratum nonnullibi spicilegium post celeberrimum Wesenfeldium instituamus: & quidem non animo doctrinam ostentandi, cujus suppellectilem nobis curtissimam esse non diffitemur, sed ut palam faciamus, illa nobis unicè cordi esse, quæ Ecclesiæ & Reipubl. Salutem possunt promovere. Solam igitur philosophiam eclecticam esse veram characteres ejus & instituta cum sectaria comparatio liquidissimè evincunt. Amplissimus hic dicendi campus est. Sed ne longe nimis exspatiemur Cl. Wesenfeldii industria prohibet. Is enim in dissert. 3. Cap. 1. 2. & 3. de Natura Necessitate & Commodis philosoph. Eclecticæ omnia ferè exhaustit, quæ dici poterant. Excell. a. Sturmio cap. 1. §. 5. summam omnia exhibuit quæ pertinent ad Naturam Philosophiæ Eclecticæ declarandam. Sequemur proinde optimorum Virorum vestigia & nonnunquam scrutata nostra cimeliis illorum intermiscibimus. Prima autem Philosophiæ eclecticæ nota est. Non attendere quis sed quid dicat. Hoc est quod monet Cl. Sturmio l. c. *Quæ quemcumq; doctorum cuicumq; etiam secta alias addidit præ ceteris in hoc aut isto genere verius aut vero saltem similis statuisse, aut circumspicius observasse, aut rectius arguisse pervident, ea seligunt ac probant. Hic vero vel in primis elucet eclecticorum æquitas, qui cum*

cum benignam Naturam ejusque Parentem Deum tantundem his quantum aliis tribuere posse perspectum habeant, omnes homines audiendos putant & illorum dicta ad examen Veritatis revocanda, idque non obiter & superficiali, sed magno studio & cura decenti, quippe non ignari, aliud fortasse sentire potuisse, quam primâ fronte videri queant. Hinc à præcipitantiâ vitio etiam eruditus quibusdam familiari nimis serò sibi cavent, & *Id est* arripiunt in illis quæ nondum sunt ad liquidum perducta. Sic certi esse possunt, se nec contemnere quemquam nec injuriâ afficere, sed tantundem illi juris concedere, quantum sibi concessum velint, si alii in sententias suas inquirent. Hoc animo cum sint, non illos in fraudem inducunt tolutiloquentia, aut grandiloquium Platonis, non Aristotelis strictim vibratæ rationes, non Stoicorum liberalia nimis promissa, non Epicuri tantoperè deprædicata felicitas, non Cartesii infallibilis secundum principia sua sciendi certitudo, sed nonnunquam assensum illis præbent, sapius illum cohibent, aut si illum forte temerè addiderunt, retrahunt, probè memores, & se iisdem erroribus obnoxios esse, in quos inciderunt alii se ipsis fortasse longè oculatiores. Quæ omnia dum faciunt, nævos etiam subinde illorum, qui sectariorum nomen respuunt, deprehendere illis licet: Ita Ciceronem aliquid humani passum esse fatentur, quando cum Platone (multorum profecto Hæreticorum condimentario) errare maluit quam cum aliis vera sentire. Lib. 1. Tusc. Quæst. Ita Senecam ampullari agnoscunt, quando inter Stoicos & ceteros sapientiam professos tantum interesse dicit,

B 2

quan-

quantum inter feminas & mares cum utraq; turba ad Vita societatem tantundem conferat sed altera pars ad obsequendum altera imperio nata sit. Imò arrogantiam manifestam dicunt cum ita pergit. *Ceteri sapientes molli-ter & blande ut ferè domestici & familiares medici agris corporibus, non quàm optimum & celerrimum est medentur, sed qua licet: Stoici virilem ingressi viam non ut amœna incun-tilibus videatur, cura habent, sed ut quam primum nos eri-riant & in illum editum Verticem educant, qui adeo extra omnem teli jactum surrexit, ut supra fortunam emineat.* Cap. I. de constantia sapientis. Ita magnum illum Con-ringium nimiam Aristotelis admiratione abreptum vident, quando in Epistola ad Joh. Conradum Dur-rium Philosophum Altorfinum iteratam editionem Isagoges Michaelis Piccarti in lectionem Aristote-lem inter sapientia Magistros familiam ducere, hunc pra aliis quam multis sapere, hunc non admodum multa ignorare, hunc raro falli, raro fallere omninò equidem arbitror. Ita Tobiam Andreae Professore Groeningensem in assert: Method. Cart. sui ferè oblitum esse con-jiciunt, cum hæc ejus verba legunt: *Cartesius novo atq; emulando cunctis vere Φιλοσόφους imitando serio Φιλο-σοφίας καὶ Φιλολόγους ac inimitabili τῶν Φιλοσόφους μετῴχου δόξοσφους, κατὰ τοὺς λόγους exemplo & quaesivit, & invenit, delineavit, institit viam sapientia tam rectam & in-fallibilem, ut ea progressus, consultà & sic tandem penitus in-spectà, atq; excusa ipsa rerum natura primus abdita ejus i-gnorata hæctenus recluserit tam feliciter, ut nec ipse, nec qui ejus vestigia pedepressim secuti ullius hæctenus erroris in iis qua ea via eruta protulere jure argui. multò minus convinci potuerint, nec unquam convictum iri spes sit, dum homines sa-*

ni Syncipitis ac philosophi veri ingenii, solidi in mundo supererunt. vid. Tepelii historia philosoph. Curtel. Cap. 5. Talia inquam & similia veræ, hoc est Eclecticæ philosophiæ consecranei intelligunt non deliberato animo & judicio defæcato, sed affectibus obnubi-lato scripta esse vel dicta à Viris alias laudatissimis, quibus eo facilius veniam esse dandam persuasi sunt, quo majorem vim habet admiratio in illis, qui autoritati magnorum virorum plusculum tribuunt, & eos non potuisse absurdis opinionibus implicari contendunt, propterea quod pleraque eorum dog-mata firmo stent talo veritatis & suffragiis sapien-tiorum comprobentur. Interim illi, dum nihil detractum volunt personis, dignitatem veri philoso-phi semper tuentur, rationes causasque rerum uni-cè ante oculos habentes, quas admittunt & ample-ctuntur, si veri κενήγια notasque in illis deprehen-dant. Secunda proprietas Eclecticæ Philosophiæ est immunitas ab affectibus inprimis, amore nimio illorum quos magni faciunt odioque ergadissenti-entes & contradicentes, cavillandi denique & ma-lidicendi Cacoethe. Intelligi hoc jam potest ex iis quæ paulo ante dicta sunt, Nam si Eclecticus non personas adeò spectat, quam dicta illarum & dogmata; minus sanè periculi ipsi est ab illis animi commotionibus quæ suboriri solent, si vel tanquam idola colamus alios, vel opinionem foveamus, nos quasi ex possessione veritatis deturbari. si alii Scrupulos nobis moveant circa ea quæ dubio profus carere vanissima persuasionem arbitrati sumus. Pro-fecto si nihil aliud hanc philosophandi rationem commendaret, hoc utique sufficere posset ad illam

11. Immuni-
tas ab affe-
ctibus &
maledicenti-
a

laudibus amplissimis exornandam. Quid enim his affectibus potest nominari pestilentius! Quid veritatis studio magis officit quam ejusmodi motus qui rationi caliginem obducunt. Nam ut Pindarus Olympion: Oda 7. loquitur αἱ Φερίων καλαρα καὶ παρέπλαξαν καὶ τὸν σοφόν. *Animi perturbationes etiam sapientem in errorem inducunt.* Et perspicue magis Ludovicus Vives de causis corrupt: Art: lib: 1. p: m. 17. *Affectus omnes animi si non retundunt mentis aciem, certe impediunt ac retardant, & quasi rubigine obducunt. Quocumque illi invaserunt lucem obfuscant animi, & dispicientiam veri perturbant, non secus ac densa nebula ante oculos offusa.* Proinde noster ab ejusmodi inimicis veræ sapientiæ diligenter sibi cavet, & moderatè cum adversariis agit, placidèque respondet, etiam cum acrius nonnunquam reprehenditur. Illustrabimus hoc verbis Excell: Sturmii ex cap: 2. §. 4. *Exercit de Philosophia sectaria & electiva desumptis; Neque vero, inquit ibi, necessaria solum hæc est querenda vera sapientia ratio, sed æquissima etiam ac justa, nec urbanitatis & modestia, quæ philosophum hominem apprimè decet, immemor.* Cum enim nullo trahatur partium studio & equali affectu feratur in quosvis veri cupidos, imo cuique, qui pro virili sua in commune conferre admittitur, magnas sedebere gratias agnoscat, non omnem industria, ingenii veri bonique demonstrati laudem in unum totis plaustis convehit, sed suam cuiq; ex meritò ita tribuit, ut sicubi etiam erratum à quoquam aut acutè etares non fuerit id cordate quidem sed modestè moneat, non ut confundat aut propinet aliis ridendum inventi vel asserti autorem, aut, quam aliunde jam peperit sibi famam & gloriam ei obtrechet (novit enim errare humanum esse, neque

vitupe-

vituperio statim dignum, qui, cum in multis se gesserit strenuè in uno deficiat) Sed ut veritati litet unice & quod obstare scientiarum incrementis videt, id modestè removeat. Hinc videas hoc ævo Huguenios, Gregorios, Moros, Boylios, Hookios, Auxutos Petitos, Hamelios, Malpighios aliosque quamplurimos inter se dissentire quidem, & scriptis concertare, sed ea comitate, ea modestia, ut dum confutare quædam in alterius libris audet, non tantum ea encomia quibus aliorum iudicio isti digni visi sunt, non dissimulet, sed suo quoque exornet; cordate confessus, multo eos cum ingenio conscriptos esse, multaque comprehendere de cetero subtilissima optima: is autem cuius scripta convelluntur in his vindicandis eadem animi moderatione usus etiam gratias agat adversario, quod suas qualescunque lucubrations examinare dignatus ansam adeo præbere sibi voluerit cogitata sua clarius & distinctius exponendi. Proprio suo exemplo hæc omnia comprobavit Sturmii noster. Placidum enim & mansuetum admodum se gessit cum Cl. Henricus Morus dubia quædam circa principium suum Hylarchicum illi mota quadam verborum amarulentia solveret. Ita enim illum alloquitur Sturmii in Epistola sua: Id vero dum ago, hanc mihi primam ipsemet legem figam, ut, quando video, nonnullos meos aculeos certe neque irridendi, neq; cavillandi animo, nec ulla alia ratione malo elapsos verius quam emissos, non agrè solum te tulisse, sed hinc inde satis duriter vindicasse, iis omnibus quantum in me erit abstineam, destinato certe consilio nil dicam, quod jure quidem commovere te possit; ne mutuo hoc eaque præsertim proportionè auferente pungendi mordendiq; studio recidamus in pristinam illam Scholarum altercantium intemperiem, quæ moderni sæculi verè philosophici civilitatem minus deceret, & veritatis investigationi obesset ma-

gio

gis quam conduceret. Observavit vir eximius illud quod monet Cicero lib. i. de fin. bon. & mal. *Differentium inter se reprehensiones non sunt vituperanda, maledicta, contumelia, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indigna mihi philosophia videri solent. Neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia & pertinacia recte disputari potest.* Idem Johannes Baptista du Hamel in Proæmio doctissimorum operum philosophicorum verbis licet paucissimis expressit. *Convitiis & maledictis velitari infra dignitatem philosophi esse puto. Quod Ludovicus vires argumentis validioribus commendat in Præfat: Comment: suorum in libros Augustini de Civitate Dei Incipiamus morem hunc tollere, quem invidia omnibus furia inprestantissima studia immiserunt impetendi et lacerandi eum, quem conjunctissimum nobis charissimumque debebat reddidisse communio studiorum ac earundem musarum cultura. Ut præteream baptismum & Charitatem Christi: quandoquidem hæc jam olim surdis auribus inania sunt nomina, & agris oculis vana sine corporibus umbra. colamusque literas ut nos delectent, ut jurent, non ut in certamen acerbum committant, & tela vel eruditionis vel styli subministrent, quibus pravos nostros affectus explentes feriamus aut sauciemus inimicum.* Quantum verò utilitatis habeat hæc affectuum repressio, & opposita illis sinceritas placidaque & amica sententiarum collatio, eruditè monstrat Cl. Wefenfeldius Diff: 4. §. 8. de Commod philo electivæ. Ad tertiam accedimus proprietatem veræ philosophiæ, quæ est, studium quærendi incrementa scientiarum. Nimirum eclecticici humani ingenii imbecillitatem agnoscentes, quæ ab uno aut paucis quibusdam hominibus omnes natura & rationis abyssos ex hauriri nun-

nt. Studi-
um que-
rendi au-
gmenta
scientiarum.

ri nunquam patiat, ab aliis quoque verum pervideri posse, junctisque viribus & communicato consilio scientias augendas & stabilendas esse sibi persuadent, quæ verba sunt Excell: Sturmii ex §. 5. Cap: i. laudatæ dissertationis. Non enim tam rudes sunt & rerum imperiti, ut philosophiam jam ad summam perfectionem pervenisse, & scientiis nihil addi vel in illis mutari posse contendant, sed illis potius calculum suum adjiciunt, quæ annotavit Verulamius lib: i. Novi organi aph. 77. *Ex viginti quinque annorum centuriis in quibus doctrina & memoria hominum ferè versatur, vix sex centuria seponi & excerpri possunt, quæ scientiarum feraces earumve proventui utiles fuerunt. Sunt enim non minus temporum quam regionum ceremi & vastitates. Tres enim tantum doctrinarum revolutiones & periodi recte numerari possunt, una apud Græcos, altera apud Romanos, ultima apud nos occidentales scilicet Europeanationes, quibus singulis vix due centuriæ annorum merito tribui possunt. Media mundi tempora quoad scientiarum segetem uberem aut letam infelicia fuerunt. Cum quibus fere consentiunt illa quæ tradit Ludovicus Vi-
ves de causis corruptarum artium lib: i. p. m. 14. *Non quod ars ulla vel ad absolutionem aliquam sit perducta, vel ita extensa ac ex polita, ut nihil habeat admistum inutile ac rejiciendum. Non eæ sunt humani ingenii vires clausæ mole hac corporis & tenebris, ut aliquid excudant perfectum atque absolutum, cui non desint plurima ad cumulum perfectionis, & quasi ad fastigium illud nature cujusq; rei. Nec potest quidquam à multis contrectari cui non aliquid adhaereat vitii, tanquam ex contagio. Nunquam ergo vel perfecta fuerunt artes vel pura ne in sua quidem origine: ea**

est superbissimi animi cecitas atque imbellicitas. Cum igitur censente doctissimo hoc Hispano, Puritas & perfectio desit scientiis vel artibus, Eclectici philosophi hoc sibi præsertim negotium datum intelligunt, ut à lolio illo, quod veræ sapientiæ segetem suffocat, agrum philosophicum repurgent, & sic perpoliant partim quæ utiliter à majoribus adinventata sunt, partim augeant & locupletent disciplinarum patrimonia, quo de præsentium quoque temporum felicitate sibi quodammodo possint gratulari, & non solis antiquis sua referant accepta. Certè non uno exemplo evinci potest quarundam scientiarum terminos non parùm prolatos esse, ex quo erectiora ingenia excussò jugo sectario veram hanc philosophandirationem ingressa sunt. Quam jejuna & sterilis erat ante quinquaginta illos annos philosophia Naturalis, cum solus in Scholis regnaret Aristoteles, qui tantum abest, ut naturalibus demonstrationibus lectori fatis faciat, ut Metaphysicis potius speculationibus eum res physicas intricare judicent Viri eruditi. vid. Præf. D. Speneri in tab. Hodos: Danhaweri, & Ludovicus Vives lib. 5. de causis corrupt: art. At quantus hodie nitor huic disciplinæ accessit, quam diversa ejus facies à pristina! postquam non solum Cartesius & Gassendus Peripato Physicæ jejunitatem exprobrarunt, sed alia quoque in auxilium adhibita sunt ad culturam utilissimæ hujus disciplinæ promovendam. Quæ quidem notiora sunt omnia, quam ut hic prolixè debeant commemorari. Moraliū quoque doctrinam quis non videt & repurgatam esse ab illuvie Scholasticorum

corum & incrementis propemodum indies auge-ri ab ingeniis ad literas has excolendas ornandasque natis. Ut spes jam certa teneat Viros eruditos nullas metuendas esse turbas in Politis, & famosas illas Monarchomachorum & Machia vellistarum hæreses Politicas nullos amplius habituras esse defensores, & abominationi fore impostherum, quæ toties rempublicam & Ecclesiam concusserunt monstra *περὸς τὸν καὶ σαρραππιαν* & *καίσαροσαππιαν*, si principis illis stare voluerint tam imperantes quam parentes. De Mathematicis disciplinis nihil attinet dicere, quas & ipsas egregiè amplificatas esse, & quotidie in usum generis humani excoli magis & perpoliri nemo rerum paulo peritior ignorat. Num vero hanc felicitatem sperare licuisset, si priscorum tantū philosophorum sputa lingere & intra limites ab illis designatos se continere voluissent nostrates Philosophi? Ideo quippe feliciter successit negotium, quod ausi sint repagula remove, & perrumpere difficultates, quas pepererat autoritatis infana admiratio. Quid ni plura nobis promittamus disciplinarum incrementa, si propitio divino Numine, & labore improbo signatam jam præstantissimorum virorum vestigiis viam calcare libuerit. Quarta proprietas veræ s. Eclecticæ Philosophiæ est, quod non ideò tractet sapientiæ studium, ut mercedem aliquam consequatur aut ea præcipue quærat, quæ faciunt *πρὸς ἀλφίτα*; Sed ut perficiat animæ facultates quo sic homo sufficienti sapientia instructus utilitatem publicam adjuvet. Hoc ipso ostendunt Eclectici, se vero honore afficere donum

IV. Non est mercenaria.

hoc benignissimi Numinis optimum, & eo abuti nolle, ad res vilissimas quæstum puta & honores externos consequendos: At, quam paucis hoc persuaderi potest. Ea enim si de multitudine philosophantium judicare velimus, tempora esse videmus ut distichon Ovidianum de amicitia lib. 2. de Ponto Eleg. 3. paulum immutatum huc applicari possit.

*Hæu! Sophia quondam sanctum & venerabile nomen
Prostat, & inquestu pro meretrice sedet.*

Enim vero & hodiernum merito instituitur quereta Luodov: Vivis lib. jr. de caus: corrupt. art. p. m. 30. *Vulgo in eam opinionem ventum est, ut eruditio velut diurna quedam sit opera, cui ad vesperam honor aut utilitas veluti laboris merces necessario sint parata. Sic persuasa est stulta multitudo, non alium in fructum queri literas, non in alium quarendas esse, quam ob divitias atque opes, aut popularem quandam de sapientie nomine venerationem.* Hinc quidem illud sequatur necesse est quod idem vives. p. 83. 84. tradit *Quo fit ut illa consecantur sola, que ad destinatum animo finem compendio perducunt, reliqua tanquam supervacanea sinunt valere: atque adeo ut quisquiliis rejiciunt, & purgamenta.* Quippe non secus philosophia & labor studiis impensus gravis istis molestusque est, atque agricola Fossio vel aratio, veredario cursus sutori suere, textori texere. *Servile est enim mercenarium quodcumque, angitque animum properantem ad premium, & sicuti Horatius inquit,*

*Spe finis dura ferentem,
Ita nullum est iis tempus breve, ut animo cupientis
nihil*

nihil satis festinat. Ab Eclectico igitur mercenaria hæc sapientia odio merito habetur, quippe non genuina sed spuria neque circa veritatem ipsam occupata, & veram scientiarum demonstrationem sed circa opiniones illorum, qui sapientum nomine insigniti sunt, ut possit vel rudioribus vel semidoctis persuadere veros se possidere sapientie thesauros, cum meri carbones sint, aut crepundia potius, quæ infantes auro contra cara existimare, & vix rebus pretiosissimis permutare solent. Non potest enim & pedisequas sapientie sincerè quam amare & ipsam sapientiam, sed hanc blanditiis quasi & verborum lenociniis tantum ambiat necesse est, si illas amore suo dignas arbitratur. Et verò dignitates & divitiæ quid sunt aliud quam famulæ quædam sapientie? Quam semper comitari coguntur, nisi temporum infelicitas & Regnum stultitiæ illud prohibeant. Quod cum perpendunt, qui Eclecticæ & veræ philosophiæ se consecrarunt, adeo hæc ornamenta externa non respiciunt, ut contemnant etiam & fastidiant, si in cursu studii philosophici sese per illa sufflaminari deprehendant. Facile hinc patere potest, quem in finem veræ sapientie amator appetat opes & honores, nimirum non ut illis fruatur sed utatur; secus quam faciunt Pseudophilosophi, qui sapientiam suam imaginariam instrumentum faciunt eorum bonorum, quæ vulgus summo loco habet, eoque nec vigiliis, nec molestissimis laboribus parcunt, ut consequantur, quibus superbire, vaniloquentiam suam ostentare, & illud obtinere possint quod reprehendit Poëta Satyricus.

At pulchrum est digitio monstrari & dici, hic est
 Ruborem certè nobis possunt incutere exempla
 quæ passim à scriptoribus fide dignis consignata
 sunt, de quorundum priscorum sapientum abstinen-
 tia & contemptu opum, fugaq; honorum, quæ bona
 illis adeò vilia sunt visa, ut non solum labore suo ea
 indigna existimaverint, verùm & vitaverint digni-
 tates, abjecerint pecunias, quo liberius & expediti-
 us sapientiæ incumberent.

Neque vero hic eos incusare velim, qui dum alios
 docent sapientiam laboris sui mercedem poscunt.
 Nil enim justitiæ legibus præjudicatum volumus,
 dum sapientiam non propter mercedem, sed seipsam
 expetendam & à veris Philosophis semper expeti-
 tam esse docemus. Quanquam fortassis, si quem
 non urgeat rei familiaris angustia, præstet imitari
 Socratem, in quo Xenophon. lib. i. de dictis & factis
 Socratis p. m. 62. laudat, quod non exegerit pecu-
 niam ab illis, qui illum audire desiderabant. *Nam,*
inquit, illos qui mercedem suæ doctrinæ suscipiebant sui i-
psius venditores appellabat. Necessè enim esse eos alloqui à
quibus mercedem susciperent. Admirabatur vero, si quis,
cum se profiteatur esse magistrum virtutis, pecuniam exigat,
& non maximum arbitretur habiturus lucrum, si bonum
adipiscatur amicum, sed timeat, ne is, qui bonus atque ho-
nestus ab ipso factus est, non maximam gratiam illi, qui ei
bene fecit, habeat. Videmus quæ causæ virum verè
 Philosophum ad hoc faciendum impulerint. In quo
 an multos hodiernorum Philosophorum sibi quoque
 hæc habiturus sit ambigi posse videtur. Nos quin-
 tam jam consideramus Philosophiæ Eclecticæ pro-
 prieta-

P. Nihil do-
cere contra
S. scriptu-
tam.

prietatem, quæ est: nihil docere contra Scriptu-
 ram sacram. Negari quidem nequit hanc proprie-
 tatem in censum nostrum venire non posse, si ita
 velimus de Philosophia Eclecticâ disquirere, ut et-
 jam Ethnicus illius præstantiam perspicere possit,
 quippè cui ut tali scriptura prorsus est ignota: Ve-
 rum quia Christianis hæc scribimus, vel inprimis
 hoc ipsum attendendum venit. Certum est, non
 ideò nobis datum esse hunc Sacro Sanctum codicẽ
 ut in humanâ sapientiâ (quanquam & hæc in illo
 contineatur, præsertim quæ mores concernit) eru-
 diamur. Longè sublimior finis est, quem inten-
 dunt divina oracula. Interim profanum imò blas-
 phemum est dicere: scripturam sæpè loqui secun-
 dum erroneam vulgi opinionem. Unde Cartesia-
 ni merito vapulant à Christianis Philosophis & theo-
 logis, quod tantum hypothesibus suis tribuant, ut
 etiam ipsum Spiritum Sanctum erroris postulare
 non erubescant. vid. Wittich: in diss: de abusu scri-
 pturæ sacræ cap. 3. In quo si eos dicamus loqui
διεσπαιυμένα mitissimè de illis pronuntiabimus. Quic-
 quid enim hic adferant emolliendis & excusandis
 his portentiloquiis, vanum est & ficulneum. Ma-
 neat hoc firmum & inconcussum: Verissima esse
 omnia, quæ scriptura sacra dicit in libris suis *θεο-*
ωρεύσεις & si qua illis, quas Philosophi nectunt de-
 monstrationibus, contraria videantur, nostrum
 potius accusemus stuporem, & animi hebetudi-
 nem, quam ut erronei quicquam verbo veritatis
 contineri impiè statuamus. De illis loquor,
 quorum sensus est, extra contraversiam, & ubi ser-
 mo

mo Spiritus Sancti non formatur ex aliorum hypothefi. Nam quædam in scripturis sæpè aliter exponi, quam linguarum avthenticarum & Hermenevticæ facræ natura permittit, multis ostendi potest exemplis. Quod fi igitur Eclecticus de verborum scripturæ facræ verò sensu conviçtus fit, ab illo non patitur se abduci, quam plausibiles etiam rationes Philosophia in contrarium adferat. Piè factis, ipsum licet non adeò pium Concilium Lateranense sessione octava: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminata fidei contrariam omnino falsam desinimus.* vid. Huëtius cap. 8. cens. Philosoph: Cart. p. m. 100. Quid enim Deus bone! hinc consequeretur, si vel unum errorem in libris Canonicis contineri philosophastris illis concederemus? Nonne ex hoc elicerent profani homines, quod anxie dudum quæsi verunt in philosophando libertini reverà Athei & omnis veræ religionis hostes, qualis est Benedictus (Maledictus potius) Spinoza, qui in tractatu suo Theologico Politico libro flammis digno cap. 2. pag. 28. ita differit: *Ex his itaque satis superque constat, id quod ostendere proponebamus, nempe Deum revelationes captui & opinionibus Prophetarum accommodavisse, Prophetasque res, quæ solam speculationem, & quæ non charitatem & usum vite spectant, ignorare potuisse, & reverà ignoravisse, contrariasq; habuisse opiniones. Quare longè abest ut ab iis cognitio rerum naturalium & spiritualium sit petenda. Concludimus itaque, nos Prophetis nihil aliud teneri credere, præter id, quod finis & substantia est revelationis, in reliquis prout unicuique libet liberum est credere.* Similia imò impia magis dogmata invalescere

scere in Ecclesia, si libros canonicos aliqua incertitudine laborare sapientuli illi obtinerent. Quod tamen metuendum non est, quamdiu Theologi supererunt cordati, & sobriæ illius Philosophiæ periti, quales D. Christianus Kortholt & Johannes Mufæus; quorum hic in dissertatione de libertate philosophandi ille in libro de tribus impostoribus hoc monstrum hominis pro meritò tractarunt. Sextam Eclecticæ Philosophiæ proprietatem dicimus Sollicitam curam, ne misceatur lumen naturæ & gratiæ. Distinctissima hæc sunt, & esse debent apud omnes, quibus rectè & ordine philosophari propositum est. Injuria enim fit eloquiis divinis si illa non separemus ab inventis hominum illorumque ratiociniis, sed vel exæquemus illis, vel super illa extollamus, si fidei mysteria rationis nostræ decempera metiri instituamus: quorum illud Platoni & ejus gregalibus tribuunt multi, & inter hos Verulamius! nov. Org. lib. 1. aph. 96. hoc autem imprimis Scholasticis, qui ex Theologiâ fecerunt servam, & ex Philosophia dominam, impudentiores longè suo magistro Aristotele, in quo hoc utique laudandum, quod non facile philosophematis suis adjunxerit, quæ naturaliter demonstrari posse desperavit. vid. Hist. sapientiæ & stultitiæ Christ. Thomasi in mente Decembri Anni. 93. & conf. Dissert. Doctoris Kortholti de rationis cum revelatione in Theologia concursu pag. 32. 33. 34. Hodie etiam illi non videntur *ἀπειθεῖαν* amare, qui philosophiam quandam Christianam comminiscuntur, pio quidem, ut puto, animo & fine, sed qui sufficere non potest illis, qui norunt. *Quid*

*VI. Non
miscere lu-
men Natu-
ræ & Gra-
tia,*

Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ. Namque ut libenter Christianos Philosophos dari concedo: ita quænam sit illa Christiana philosophia me capere non posse ingenuè profiteor. Æquè enim absonum est, philosophiam (Significatum hujus vocis intelligo famosiorē) revelatam & Christianam statuere. Nullum certè aliud cognoscendi principium admittit philosophia, quam rationem. Cum autem Christianum audio, illud significari puto, quod omnem rationem longè transcendit. Jam vero admittam ejusmodi philosophia Christiana, & ejus modi conclusiones quæ ex ratione deducuntur, & aliæ quas revelatio suppeditat, dicendæ erunt philosophicæ, quod omnino manifestam infert misturam Theologiæ & Philosophiæ. Nimirum maximè differunt, Homo, Philosophus, Christianus. Multi sunt homines sed non Philosophi. Multi sunt Philosophi sed non Christiani. Multi sunt Christiani, sed non Philosophi. Contingit tamen Christianos esse Philosophos eosque non proletarios. Proinde Eclecticis sicut Christianis à pessimo hoc & perniciosissimo Syncretismo rationis & fidei diligenter sibi cavet, hisque donis divinis rectè utitur; Ratione quidem, quando illius beneficiose multa cognoscere, sed longè plura nequaquam perscrutari posse deprehendit: hac autem, dum, quæ ex revelatione divina haurit dogmata, quæ in Theologia naturali traduntur, longè clariora & pleniora experitur, quam quæ solius naturæ luminis ope sibi investigare licuit. In ceteris verò fidei articulis, quos puros vocant, rationem prorsus cæcutire agnoscit, & nequaquam vi-

ribus

ribus suis eo usque assurgere, ut argumentationibus etiam acutissimis illos demonstrat. vid. Dn. Kortholt loco citato. Ex iis quos hætenus Philosophiæ Eclecticæ inesse demonstravimus Characteribus, jam manifestum evadit, quomodo sectaria à nobis sit concipienda. Equidè posterioribus tribus illis proprietatibus, totidem contrarias alias, si omnes sectarios spectemus, opponi semper posse non facile dixerim. Sicut enim omnibus sectariis solenne est Autoris sectæ verbis pertinaciter inhærere, eaque modis omnibus in sensum meliorem, si forte absurdus sit, detorquere, vehementius commoveri, & nonnunquam excandescere, si quis audeat Patriarcham suum carpere vel refellere, de scientiarum denique augmentis adeo non cogitare, ut etiam indignissimè ferant, si quis quasi cornicum oculos configere, & iis quæ à majoribus inventa sunt plura addere velit. Ita mercenarios omnes sectarios pronunciare, eosq; Anti-Scripturarios & Syncretistas facere nimia foret audacia. Habet interim sectaria Philosophia suos quoque characteres, quos jam tum sollicitè satis excussit. Cl. Wessfeldius differt. 1. §. 8. & 9. de Natura Philosophiæ sectariæ. Nos pro instituto nostro hic quoq; aliqua commentabimur. Præcipuam autem sectariorum notam, si quis *ιδωλοπώσια* statuatur, à vero non aberrabit. Per hanc non id intellectum velim, quod Cl. Wessfeldius idololatriam vel Apotheosin nominat, sed hujus causam, hoc est, notionum seu idearum falsarum, vel saltim non satis certarum assumptionem pro ipsa veritate. De his idolis, quantum ad Philosophiam naturalem fuscè agit Magnus Ve-

D 2

rula-

Sectaria
notaI. *ιδωλοπώσια*

rulamius lib. 1. nov. org. §. 38. & seqq. Huc præ-
 fertim spectant & applicari possunt, quæ ille idola
 specus & idola theatri appellat. Quorum illa, vel
 ad naturam cujusq; propriam & singularem refert,
 vel ex educatione & conversatione cum aliis, vel
 ex lectione librorum, & autoritate eorum, quos
 quisq; colit & miratur, vel ex differentiis impressio-
 num, prout occurrunt in animo præoccupato ori-
 ri putat. Hæc autem dicit non innata nec occul-
 tē insinuata in intellectum, sed ex fabulis theoria-
 rum & perverfis legibus demonstrationum plane
 indita & recepta. Notiori vocabulo hæc hodie
 præjudicia appellantur, quæ quomodo differant, &
 à veritatis cupido debeant vitari, solidè & erudite
 monstrat Cl. Thomafius in praxi suâ Log. Cap. 1.
 Dicit autem non potest, quantum malorum hæc ip-
 sa intellectus humani idola excitent, non in re lite-
 raria tantum, sed omni vita humana. Hinc utique
 opiniones vulgi æstimandæ sunt, quæ nec præviam
 habent demonstrationum ἀνάγκη, neque sæpius ve-
 rissimilitudine aliqua aut probabilitate nituntur, sed
 ejusmodi conceptibus, qui formantur ex inadver-
 tentiâ, & confirmantur per multitudinem, à quibus
 interdum Doctissimi viri non sunt immunes ut
 exemplo Beati Augustini Patris inter Latinos extra
 controversiam Principis patere potest, qui lib. 16.
 Cap. 9. De C. D. Antipodes dari pernegat, omnes-
 que illas demonstrationes ridet, quas tunc adhibe-
 bant hujus sententiæ patroni. Animam proinde
 dixerimus sectariæ Philosophiæ hæc præjudicia
 quæ sæpius tanta cum fiducia defenduntur, ut illis
 etiam

etiam gravissimū periculū immineat, qui κρυφαί illas
 δόξαι, oppugnare sustinent; quod, ut alia præsentis &
 superiorū seculorum exempla præteream, Petri Ra-
 mi miserrimus interitus testatur. Dum autem se-
 ctarii Philosophi pro idolis suis tanquam pro aris
 & focus decertant, e re sua subinde judicant, publi-
 cis Scriptis orbi palam facere, quam egregii sint ve-
 ritatis confessores, & quantoperè studeant sapien-
 tiam suam propagare. Quod tunc utique in lau-
 dem illis cedit, si interpretum munere fungantur,
 & principis sectæ suæ sententias explanare conen-
 tur quippe cum rei Philosophicæ intersit, nôsse, quæ
 dogmata & quibus seculis cæperint innotescere.
 Quando verò non scriptores agunt sed exscripto-
 res adeoque plagarios, non solum sibi ipsis notam
 turpitudinis inurunt, sed etiam in publicum injuriæ
 sunt, dum libris non necessariis onerant lectores,
 quos imperitos plerumque nanciscuntur. Hoc
 profectò inter præcipua impedimenta veræ solidæ-
 que eruditionis numerari debet, quod tot prode-
 ant volumina alio atque alio Schemate exornata,
 quæ cramben vel millies coctam apponunt. Hinc
 tot compendia, synopsis, summulæ, epitomæ, I-
 deæ etc. de quibus si idem dixerimus, quod Cl. Beck-
 mannus medit: Pol: 1. de Nat: Politices §. 9. de
 quibusdam compendiis politicis pronunciat: *Sylva
 etiam aliquando condita, sed cadua quas foco parando adhi-
 beri religio non vetet:* fortassis prudentiorum nemo
 contradicet. Optandum sanè esset, ut, quod Ro-
 mana Curia (sine quanquam multum dispari) jam
 aliquamdiu fecit, in omni Republica, ubi florent li-

II. Cum-
 latio libro-
 rum non
 necessaria-
 rum.

teræ, fieret, nimirum, ut indices expurgatorii conficerentur, in quos referrent viri docti omnes illos libros, in quibus non solum manifesta sunt plagia, sed etiam corrumpuntur & mutilantur, quæ rectius & plenius tradiderunt alii. Quanquam enim huic malo obviam iverint Viri πολυμαθεῖς, qui censuras autorum ediderunt, ubi subinde plagia literaria detegunt: hisce tamen non nisi doctioribus tantum prospectum est, incauta juventute interim fraudis & imposturarum ejusmodi ignara manente, si præsertim consiliis doctiorum destituatur. Cui sic optimè consuli posset, si quæ in qualibet secta ad mentem primi ejus autoris evulgata sunt, recuderentur & dextrè non nunquam illustrarentur, abolitis prorsus illis scriptorculis, de quibus meritò usurpes vulgatum illud: Qui unum novit novit omnes. Sic dum vanam confectantur gloriolam serviles Philosophi, non parum incommodum ant publico, aliud facturi, si Socratis verba perpenderent, qui interrogatus, cur nihil scriberet, respondisse perhibetur: Video chartas pretiosiores fore iis quæ scribenda sunt. Præter scribendi Cacoëthes in sectariis quoque sæpe observare licet λογιμαχίας & de terminis inanes concertationes. Non de omnibus hoc sectis affirmare licet, quarum aliqua rebus intentæ circa verba non admodum occupantur. Sed de Aristotelicâ & scholasticâ id nimis verum esse, rixæ & altercationes tot seculis continuatæ abunde loquuntur. Quid illo certamine vehementius hodiernum est, quod inter Nominales & Reales agitur de Natura Universalium? Neq̄ enim
No-

III. Λογο-
μαχίας.

Nominales aboliti prorsus sunt, licet Nomen eorum minus sit frequens vid. Orat: 12. Jac. Thomasi de Secta Nom: & tamen judice Ludov: Viv. l. 3. de Causis Corrupt: art. p. m: 200. *Eò res est deducta ipsa absurditate sui & argumentis Nominalium, ut si apertius velint utriusque eloqui appareat eos idem sentire.* Non est ut huic rei demonstrandæ diu immoremur. Qui obiter insperxit scripta quorundam Scholasticorum plurima enumerare poterit exemplæ foedæ hujus λογομαχίας. Non parum autem hunc altercandi pruritum vel excitat vel conservat hodierna Scholasticorum Metaphysica, quæ cum nil nisi meros terminos tradat variè applicabiles, illi, qui ingenio sunt ad tricas necitendas propenso, facile inde occasionem arripiunt magnâ cum vehementiâ pro vuculis & apicibus depugnandi. Quod cum sapius etiam contra decorum continuant contentiosi homines, illi, qui ceteroquin res philosophicas non atpernantur, cum putidum ejusmodi disputandi genus confiderant, non sine causa illos Pedantas vocant, omnemque Philosophiam Pedantismi convitio aspergunt, non ita facturi, si termini omnes rite recteque applicarentur, & ad otiosas ejusmodi speculationes non adhiberentur. Non solum vero sectarii nonnulli litigiis infructuosis distinentur & bonas horas pessimè collocant, sed inflati quoque sunt elatique animi, adeo ut scientiæ suæ fiduciâ existiment altiores sibi spiritus sumendos, & non vulgariter superbiendum esse, quod ad ipsum jam omnis sapientiæ fundum penetraverint. Nescio an ullam hinc sectarum excipere liceat. De Pythagorica seu Italica o-

IV. Super-
bia.

lica, omnium in Europa antiquissimâ, fatis constat partim ex probatione discipulorum, antequam admitterentur, partim ex eorum divisione, superbiæ eam fuisse deditam. Unde viri docti præcipuam causam tumultus a Crotoniensibus excitati, in quo 60. ex 300. juvenibus interiëre, superbiam & indefluentem contemptum aliorum fuisse dicunt, vid. Justinus lib: 20. Cap. 4. & conf. quæ refert Diogenes Laertius lib. 8. p. m. 519. 520. Ipse finis hujus Philosophiæ, qui est *ουλοιας* *Θεω* non poterat non homines illos reddere superbissimos, vid. Schefferus cap. 7. de Nat. & Constit. Philosoph. Ital. De Platonicis idem quod de Pythagoricis affirmari posse videtur, quippe qui eundem sibi scopum præfixum habuere, ut annotat Scheff. loco citato. Hoc etiam fastum illorum augere potuit, quando proxenetis quasi quibusdam dæmonibus, quos medios illi deos appellabant, sese amicitiam summorum deorum consequi posse existimabant, quam sententiam eorum eruditè refellit Aug. lib. 9. de C. D. cap. 9. 16. 17. Exrecentioribus Platonicis Marsilium Ficinum non sine causa superbiæ infimulat doctissimus Jacobus Thomasius dissert. 41. ubi adversus Philosophos Novantiquos disputat. Apponemus ipsa verba auctoris. *In epistolis*, inquit, *Marsilii una legitur cum hac epigraphe.* Marsilius Ficinus Florentinus Platonicus Serenissimo Pannoniæ Regi Mathiæ semper invicto se suppliciter commendat: *Nihil huic fastui deerat, nisi ut ex instituto Principum titulis suis præfigeret illud etiam. Nos Dei Gratia, Alia extant ejusdem ad Johanne m Picum, Dominum Beni-*

veni-

venium quibus eos Complatonicos suos salutat, ipse passim ab amicis Platonicus inscriptus: nempe callentibus quâ unguâ scabere hunc mulum oporteret. Stoicos nemo dubitat fuisse superbissimos, quippe qui sapientem suum in eo tantum differre a DEO suo autumabant, quod hic naturâ talis esset, sapiens autem imitatione. Ut sic *αποθεωσις* illi etiam in hac vita decernenda fuerit. Vid. Senec. in Ep. passim. In primis in gente Scholasticorum hic fastus conspicuus est. Inde enim passim salutantur Doctores Angelici, seraphici, irrefragabiles, illuminatissimi, fundatissimi. Quare sapientiam suam in tanto honore voluerunt esse olim & hodiernum cupiunt, ut sacrilegii reus peragi debeat, qui alicui magistrorum nostrorum velit obstrepere. Quam superbissimam stultitiam in primis castigavit Autor, qui epistolâ obscurorum virorum scripsit, quem B. M. Puffendorfius Equitem Francum ab Hutem fuisse non sine causa suspicatur. His omnibus accedunt *V. Interna* interna sectarum dissidia, quæ illas inter se ita dissociant, ut concors quædam discordia in illis conspiciatur. De Academicis id in confesso est, quorum quinque Scholas fuisse tradunt Historiæ Philosophicæ Scriptores. In Aristotelicis plures etiam numerare licebit. Multum enim ab interpretibus latinis dissentiant Græci, ab his Arabici immane quantum discrepant, quod vel unico exemplo probasse suffecerit, quod ex Ludov. Viv. lib. 5. de Cauf. corrupt. art. p. m. 298. 299. mutuabimur: *Libro*, inquit ibi. *Metaphysicæ primo textu, sicut ipsi loquuntur, commentii quinti Aristotelis, opinionones priorum de principiis*

E

NATURA

nature examinantis hæc sunt verba: Μετὰ δὲ τὰς εἰρημύ-
 νας φιλοσοφίας ἡ Πλάτωνος ἐγένετο πραγματεία, τὰ μὲν
 πολλὰ τοῖς πυθαγορείοις τρίτοις ἀκολούθησεν, τὰ δὲ καὶ ἴδια πα-
 ρὰ τὴν ἰταλικῶν ἔχουσα φιλοσοφίαν. ἐκίνησε γὰρ συγγενόμε-
 νος πρώτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς ἡρακλείσειοις δόξαις, ὡς ἀπάντων
 τῶν αἰσθητῶν αἰετέοντων, καὶ ἐπισήμης περὶ αὐτῶν ἐκ ἄσης,
 ταῦτα μὲν ὑπερβῆν ἕως ὑπέλαβεν, Σωκράτης δὲ πρὸς τὰ ἠθικὰ
 πραγματευόμενος, πρὸς δὲ τῆς ὅλης φύσεως εἶδεν. *Quorum hic*
est Latine sensus; Post jam enumeratas de Philosophia sen-
tentias secuta est Platonis speculatio, in plerisque Pythagori-
cis accedens, sed quedam habens propria præter Italicam di-
sciplinam. Nam à puero primum Cratylo dedit operam, &
placitis Heracliti, quæ à sensibilibus quod in perpetuo essent
fluxu, scientiam tollebant, cuius ad postremum quoque fuit opi-
nionis. Quum Socrates circa moralia versaretur, de natu-
ra autem universitatis nihil diceret. Sic nos. Audiamus
nunc interpretem Arabicum: Et post hoc quod dictum
fuit, de modis philosophiæ, inventa fuit philosophia Platonis,
& sequebatur illos in multitudine, in unitatibus autem erat
opinionis Italarum: & primus qui contigit post Democritum,
fuit opinio Herculeorum, scilicet quod omnia entia sunt sem-
per in fluxu: & quod nulla est in eis scientia. Istas igitur
opiniones secundum hos accepimus in postremo. Socrates
autem locutus in moralibus, & nihil dixit de natura.

Quis non talia legens hanc epicrifin subjiciat
 ejusdem Vivis: *Quæso te quis sana mentis eadem dicat*
esse hæc & illa? Aristoteles si revivisceret, intelligeret hæc,
aut posset vel conjecturis castigare? Tam egregie nimi-
 rum istæ interpretationes inter se conveniunt. Sed
 si quis Latinas conferre velit, non minorem alicu-
 bi discrepantiam deprehendet. Unde doctissimus

Mor-

Morhofius in Polyhistore Mscro merito Arabicis
 & Latinis Græcos præferendos esse judicat. Quan-
 quam id in universum annotet, ipsa Aristotelis
 scripta potiora esse habenda omnibus interpretibus,
 quorum plerique peregrinos sensus in ipsum Ari-
 stotelem inferant. Quod sicut de Arabicis, ita &
 de Latinis posterioribus nimis verum esse tanta in-
 ter Scholasticos discordia abunde evincit. Quan-
 quam non solum ab Aristotele perperam intellecto,
 sed aliunde etiam ortum trahant Sectæ inter Scho-
 lasticos Thomistarum Scotistarum, Albertistarum,
 quæ omnia videantur in Ryffelii continuatione Vos-
 sii Cap: 8. §. 4. seqq. Stoicorum quoque diffidia
 passim observat Lipsius in Manuduct: ad Philoso-
 phiam Stoicam & Jacobus Thomasius in pererudi-
 to opere de exustione mundi Stoicâ. Neque
 Cartesiani hic excipiendi sunt, quorum alios rigi-
 dios appellat, qui κατὰ πόδα sententias Cartesii
 sequuntur, alios moderatos, qui eum deserere non
 dubitant, ubi apertè nimis hallucinatus esse vide-
 tur. Video quid hic ab aliquo sectariorum mihi
 objici possit, nimirum me propria vineta cæde-
 re, dum sectariorum diffidia taxo, cum Ecle-
 ctici ipsi nimis frequenter dissideant, quorum vix
 duos reperire liceat, qui per omnia inter se con-
 sentiant. Ubi omnino fatendum est dissensiones
 inter Eclecticos esse creberrimas, verum alio pror-
 sus modo quam inter sectarios. Hi enim ita inter
 se pugnant, ut falsas prorsus pronuncient contrarias
 sententias: Eclectici vero, licet modestè suū subinde
 dissensum profiteantur, non tamen contradicentes

E 2

pro-

profinus erroris condemnant, sed tantisper id defendunt, quod verum esse arbitrantur, dum pars adversa clarissimis argumentis demonstrat contrarium & tunc veritati, quam unice venantur libentissime cedunt, quippe qui pulcherrimum esse putant in hoc certamine vel vincere vel vinci. Observe præterea in sectariis nonnunquam licet ineptum conciliandi studium. Quanquam enim laudem is mereatur qui concordiam sancit, & illos qui sibi contradicere videntur in gratiam reducit; id quod nostro tempore in Physicis insigni cum successu præstare conatus est eximius Sturmius: Tamen ubi diversissima sunt principia, id adeò tolerari non debet, ut modis omnibus illis sit resistendum, qui vel Syncretismum quendam sectarum, vel sectæ alicujus Ethnicæ cū Christiana religione concordiam meditantur. Prius fecerunt, qui conati sunt demonstrare, inter quos etiam, quod mireris, ipse erat Cicero, Platonicos & Peripateticos inter se non nisi verbis dissentire; contra quos in Oratione II. de Syncretismo Peripatetico more suo erudite disputat Jacobus Thomasius. Pòsterius quidam Patres secundi & tertii seculi facere non dubitarunt, qui Platonem habuerunt pro Judæorum profelytò, quam sententiam hodiernum Neoplatonici nonnulli amplectuntur. Et superiori seculo Lipsius ex Stoicis Christianos facere annisus est, quem propterea passim castigat sæpe laudatus Jacobus Thomasius in suis de exust: Mundi stoica disertationibus. Ex iis quæ hætenus differuimus cuivis liquere potest, quanto in honore sit habenda Phi-

VI. Inep-
sum conciliandi studium.

Incommo-
da & da-
mna inde
exerit.

da Philosophia Eclectica, quippè unice vera & quantum è contrario damnum promanet ex Studio sectario. Quod ut clarius intelligatur, in memoriam primo B. L. revocandæ sunt illæ turbæ, quas tempore Reformationis B. Lutheri, imo ante & post illud concitaverunt partim scholastici, partim Aristotelici puriores. Illi quidem contra omnes profundæ eruditionis viros, & lingvarum Epistemonicarum (quas sub ipsam literarum *παλιγγεσιν* in nostrâ Europâ præsertim septentrionali docere illi incipiebant) apprimè gnaros: Hi vero contra Ramistas & hoc seculo contra Cartesianos partim, partim illos qui moralium Doctrinæ fordes Scholasticas abstergere illamque nitidiorem aliquantò in theatrum producere conati sunt. Qui tumultus & velitationes papyraceæ non solum multis in locis civitates ipsas plurimis involverunt incommodis, sed adeo dehonestarunt viros ceteroquin eruditos, ut, si seposito partium studio rem putare velint fateri cogantur, neque suæ se existimationi, neque publico consuluisse. Hoc certè damnum inde sensit certissimum, quod, dum exacerbatis animis inter se contenderunt, multis extiterint causa non agnitæ veritatis, dumque otio suo vel coacti sunt, vel voluerunt abuti, non potuerint meditationibus honestis magisque proficuis vacare. Non dicam quantum mali ex dogmatibus quibusdam sectariis in ipsas Respublicas redundet. Quod quidem illum latere nequit, qui, quæ sit Lojolitarum doctrina Moralis & Monarchomachorum abominabilis hypothesis, perspectum habet, secumque perpendit,

dit, quam fraudulentè nonnulli sub novo Schemate eoque specioso satis vel Stoicismum, vel Epicureismum ab orco revocare conentur. Itaq; funesta satis sunt mala, quibus nonnunquam affliguntur à sectis & sectariis Respublicæ. Sed hoc magis dolendum est, quod ipsam etiam Theologiam inficiant ista contagia. Equidem hæc in se pura semper manet & incorrupta; quando non nisi eloquia divina tractat. sed cum illi addiscendæ navant operam, qui præconceptis jam opinionibus quasi constricti tenentur, & dogmatibus suis philosophicis tantum vendicant, ut nuncium illis mittere nolint, etiamsi videant veritati divinæ vim fieri, si illa propugnentur; tunc quidem Theologia in concreto ut loquuntur considerata misera sit necesse est, & corruptelis vanorum hominum vehementer obnoxia. Id quod exempla Theophrasti Paracelsi, Valentini Weigelii, Jacobi Böhmy & aliorum proh. dolor! abunde confirmant. Nonnunquam illi etiam hæc sacra contaminant, qui per *αβλεψίαν* quandam gentilium Philosophorum Scita ut scripturæ sacræ consentanea amplectuntur. Inter Ecclesiæ Patres hujus incuriæ inprimis arguuntur doctissimus Clemens Alexandrinus, ejusque discipulus Origenes Adamantius, vir alias stupendæ doctrinæ, & de scripturâ sacrâ meritissimus, qui dum Platonicæ Philosophiæ impensius dediti fuerunt heterodoxa quædam in Theologiam intulerunt. Origenes etiam dictione Platonica adeo delectatus est, ut etiam in scriptis Theologicis illam expresserit, vid. Schediasm Histor: Jacobi Thomasi §. 46.

& seqq.

*Talem esse
Theologiam
qualis est
Philosophia*

& seqq. ejusq; dissertatio 19. de exustione mundi Stoica & conf. Guil: Cave hist. liter: script. Ecclesiast. p. m. 40. 54. seqq. Qui tamen Origenem in plurimis excusat quæ apud illum legi merentur p. m. 56. Quantam autem labem Theologiæ asperserint Scholastici non poterimus succinctè & dilucidè magis cognoscere, quam ex verbis Henr: Corn: Agrippæ summi licet sceptici & scoptici, qui cap: 97. de incert & Van: omnium scientiarum ita differit: *Scholastica Theologia in Sophismata paulatim delapsa est, dum recentiores isti Theosophista ac verbi DEi cauponatores, qui non nisi empto titulo Theologi sunt, ex tam sublimi facultate quandam logomachiam fecerunt, circumvenientes Scholas, moventes questicunculas, fabricantes opiniones & scripturis vim inferentes. intricatis verbis alienum sensum illis obducentes, paratiores ventilare quam examinare multa admodum jurgiorum seminaria ex cogitare ausi, quibus litigiosis Sophistis contendendi materiam præbent. Et paulo post, Multas admodum aptas jurgis de divinis questionibus sibi delegerunt in quibus ingenium suum exercentes, & etatem consumentes, totius Theologiæ doctrinam in illis solis collocarunt, quibus si quis sacrarum literarum auctoritate resistere velit, mox auditurus est: litera occidit, perniciofa est, inutilis est, sed quod latet in litera inquirendum dicent, moxque ad interpretandum ad exponendum, ad glossandum, ad syllogizandum conversi quemvis potius alium, quam proprium literæ sensum illi induunt. Si instas acrius, si urges, contumelias accipies & asinus diceris, quicquid latet in litera, non intelligas, sed tanquam serpens sola terra vescaris, adeo nulli penes eos Theologi habentur, nisi qui norint egregiè contendere, & ad omne propositum instantiam dare,*

promp-

promptè & fingere, & novos sensus invenire, monstrosis vocabulis sic obstrepere, quo non pro rei difficultate, sed pro verborum portentis intelligantur à nemine. An ab his Scholasticorum sordibus jam penitus Theologia nostra purgata sit, meum non est disquirere. Passim adhuc Theologorum querelas audias: Theologiam Scholasticam quæ jam ejecta erat & expulsa per Megalandrum Lutherum, secutis temporibus quasi post liminio per posticum receptam esse. Verum de hoc viderint venerandi Theologi. Hoc interim mihi ut Christiano veræ Philosophiæ studiis addicto ex Hist: Ecclesiast. observare licebit, Theologiam ingentem cladem passam esse, ex quo Philosophia Gentilium in Ecclesiam recepta est. Absit, ut hanc simpliciter rejiciam, vel studium ejus dissuadeam, quod si rectè & intimore Domini tractetur, Theologis quoq; ad loca Scripturæ nonnulla solidè explicanda plurimum adjumenti adferre potest. Sed quia ex quâdam incuriâ inter lucem & tenebris pacisci quasi placuit, justus fuit Dominus, qui nimios Amatores spuria istius sapientiæ in errores prolabi passus est crassos satis atq; perniciosos. Quod quidem pauci admodum hætenus agnovisse videntur. Enim verò nullam prorsus ex sectis gentilium a fædis & pestiferis dogmatibus sibi temperasse breviter docet Joh: Gerh. Vossius cap. 21. p. m. 114. de sectis Philosoph. *Præstantia*, inquit, hujus sectæ (eclecticæ) ex eo dilucet, quod tanta sit imperfectio humani intellectus, ut ex vetustis illis sapientibus nemo potuerit omnino verum perspicere. Quod diffiteri non possumus, si Animum per omnes sectas diffundamus. Sic Epicurus tollebas

Justum Dei
judicium a
paucis a-
nimadver-
sum.

lebat Dei providentiam, animarum etiam mortalitatem inducebat. Plato Dæmonibus & Heroibus sacrificari jubet, Rempub: format, in qua Uxores sint communes. Aristoteles mundum censet semper fuisse, nec providentiam Dei versari circa res singulas humanas, quas ne sciat quidem. Stoici Deum arbitrabantur esse animal, cujus corpus sit hic Mundus. Quæ omnia & longè plura portentiloquia, si quis plenius cognoscere velit, Joh. Baptistam Crispum evolvet de Ethnicis Philosophis cautè legendis. Lubens tunc, ut opinor, agnoscat, grave etiamnum illos premere judicium Dei, qui ad Theologiam tractandam accedunt animo Vitiis illis imbuto, quæ Gentilium philosophematis adhærent. Quod quoniam pauci olim animadverterunt, mirum non est, in scripturæ sacræ adeoque purissimæ Theologiæ studio progressus non factos esse, quales videre licuit, postquàm libero ab hisce talibus animo oracula divina consulere cœperunt. Quod si igitur sectaria philosophia Rempublicam pariter & Ecclesiam damno afficit, uti ea demonstrant, quæ breviter à nobis superius tradita sunt: nemo non videt, quantam nobis utilitatem promittere possimus ex studio philosophiæ Eclecticæ, decenter instituto. Si enim illa nihil derogat sacræ scripturæ, illiusque effata non commiseri vult cum ratiociniis humanis, si affectus noxios & convitia non tolerat, si auctoritati humanæ neque nimis tribuit, neque minus quam par est, si non ob præmia & mercedem rerum cognitionem quærit, sed ob veritatem præcipuè, si denique sapientiæ fundum extendi vult & amplificari, & sic Dei cognitionem

Eclectica
philosophia
fructum.

ex lumine naturali, Reipublicæ tranquillitatem sibi unice propositam habet: nullæ utique metuentæ sunt turbæ & concertationes vehementes, nullæ calumniæ & convitia, sed è contrario summa in literas omnis generis propensio excitabitur, benevolentia quædam universalis existet, exfulabit invidia, suspiciones, obrectationes. Verbo: malitia & stultitia profligabitur, & triumphat sapientia, veritas, iustitia. Hi enim fructus abesse nequeunt, si literæ, adeoque philosophia fideliter discantur. *Citra omnem controversiam*, inquit prudentissimus Verul. l. i. de Augm. scient. p. m. 19. *Artes emolliunt mores, teneros reddunt, sequaces, cereos, & ad mandata imperii ductiles.* & p. 33. Postquam Distichon Ovidianum citasset.

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes etc. subjungit. *Eruditio siquidem humanas mentes feritate atque barbarie exuit. Veruntamen opus est ut accentus sit in voce illa fideliter. Nam tumultuaria cognitio flectit potius in contrarium, eruditio inquam, levitatem, temeritatem atque insolentiam tollit, dum omnia pericula & ambigua simul cum re ipsa suggerit, rationum & argumentorum pondera in utramque partem librat, prima queque, que se offerunt animo, eique arrident, pro suspectis habet, iterque omne tanquam exploratum inire docet.* Tot tantosque fructus igitur, cum nobis polliceatur serium & constans veræ philosophiæ studium, operæ utique pretium est de mediis dispicere, quæ ad tam pulchrum præstantemque finem nos ducere possint. **Esto igitur.**

Cap.

CAP. II.

De Mediis introducendi Philosophiam Eclecticam propinquis.

Conspectus

<i>Objectiones duæ solvuntur</i>	<i>Conversations Erudite.</i>
<i>Cultura major historia philosophica.</i>	<i>Instrumentalium disciplinarum luculentior tractatio.</i>
<i>Omnium sectarum etiam Judaica philosophiæ investigotia.</i>	<i>Honorum Academicorum justa collatio.</i>
<i>Humiliatio spiritus hūani.</i>	<i>Conjunctio studii philosophici cum Theologico.</i>
<i>Disputationes debito modo institutæ.</i>	

UT pede inoffenso hic progrediamur, quædam initio amolienda sunt, quæ cursum nostrum remorari & retardare posse videntur. Duo autem præcipue sunt, quæ prudentior aliquis opponere possit. Primum, quod incassum hic labor à me suscipiatur, quijam tum initio capitis primi fassus sim, non facile reperiri in politiori orbe Europæo locum, ubi non inveniuntur Viri hanc ipsam philosophandi rationem, quã tantopere commendamus, sectantes. Frustra igitur me id laudare & svadere aliis, quod dudum in pretio sit habitum à Viris Doctis. Ad quæ, quid reponam non diu deliberandum est. Etenim licet

Objectiones solvuntur

i. Objecta

F 2

hinc

hinc inde Viri ingenio & doctrina præstantes Eclecticæ philosophiæ se consecrarint, non tamen ad eam felicitatem pervenisse videntur nisi post longas ambages, innumerasque devoratas molestias, ut providentiæ potius divinæ illam acceptam ferre debeant, quam manu ductioni præceptorum more Eclecticorum philosophantium, quippe quos ante paucos etiam annos in Academiis, quantum scio, reperire non licuit, id quod mox evidentius patebit Deinde & hoc observandum, quod cum paucissimi sint, quibus hanc inire viam placuit, non sine causa admonendi sint omnes, quotquot genuinam amant eruditionem, ut illis se agregent, & citato gradu ad arcem veræ sapientiæ contendant. Si tempora post Lutheri nostri reformationem, nobis in memoriam revocemus, semper in Ecclesia nostra fuisse Viros lingvarum Orientalium peritos deprehendemus: & tamen non destiterunt cordati Theologi Sacrarum literarum Cultoribus hoc præsertim seculo svadere, ut linguas illas ante omnia excolerent, ex quarum studio ad eos plus commodi redundaturum esset, quam vel ex Logicâ vel Metaphysica. Quod si igitur illi non luserunt operam, sed insignem potius fructum suarum adhortationum viderunt, certe & illorum labor non est irritus habendus, qui illam philosophiam, magis magisque se ad omnes diffundere volunt, quæ status Hierarchicos tantopere beat. Alterum illud quod conatui nostro obsistere videtur, validius nos premit, & majorem postulat in respondendo solertiam, præsertim cum etiam autoritas eorum

a. Object.

rum nos terreat, quibus partim obsequium debetur partim reverentia. Etenim si leges in plerisque Academiis consideremus, certum illæ autorem, si non in omnibus, quibusdam tamen disciplinis præ reliquis explanandum esse præcipiunt. Et quidem in Logicis & Metaphysicis fere omnes, in Moralibus & Physicis non pauca Aristotelem tanquam præcipuum Magistrum commendant. In hac quoque Academia, in Physicis, Logicis, Moralibus, Aristotelicam doctrinam Regiæ constitutiones enucleare jubent. Proinde non temerarium tantum sed & impium fuerit in talibus aliquid innovare velle, cum tutius longè & honestius sit iis acquiescere, quæ Magistratus præcipit, quam alia sub specie quadam vel utilitatis vel facilitatis majoris comendatum ire. Valide fateor hoc argumentum nos stringere videtur, quippe qui Eclectici philosophi proprium esse docuimus, nulla ratione turbare publicum, sed omnes potius actiones suas, ad publicæ tranquillitatis conservationem referre. Verum non dum ita convicti sumus, ut non in promptu sit responsio. Namque ultro largimur, parendum esse legibus, & illis autoribus inhærendum, quibus nos adstrinxerunt superiores. Sed num propterea prævaricamur, si quostquam fideliter ea præstitimus, quæ Magistratus injungit pergamus ad alia, ut ea quæ jam tradita sunt discipulis, tanto magis illustrentur? Equidem servum illum reprehensionem incursum non existimaverim, qui diurnum pensum suum duplicat, & domini sui lucro magis studet quam jubetur. Num vero Prin-

ceps si militiae magistros habeat, qui non solum officia & exercitia quae vocant bellica eo modo doceant, qui jam receptus est, sed aliarum quoque rerum publicarum modos & methodos exercendi milites monstrent indignè id feret & tam peritos tamque industrios officarios alicujus inoboedientiae arguet? Enimverò nequaquam illa quae jubentur à superioribus contra vel praeter illorum mentem sunt accipienda. Nostrae sanè Constit. Academ., quoties Aristotelica Dogmata inculcanda esse praecipiunt, aliorum quoque probatorum autorum meminerunt. In specie quod ad Cartesianam philosophiam attinet, illius quoque cognitionem peculiare Rescriptum Regium Anno 90. indulgit omnibus, quibus naviter, sobriè tamè, placet philosophari. Cæterum non simpliciter Autores sequendos esse, quos tanquam praecipuos evolvendos leges dicitant, vel inde manifestum est, quod aliqua in illis occurrant, à quibus meritò abhorrent omnes sanæ mentis homines. Quis enim non totus contremiscat si V. g. apud Aristotelem lib. 7. Pol. c. 16. hæc legat. *περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔγω νόμος, μηδὲν πεπερωμένον τρέφειν. Διὰ δὲ πλῆθος τέλων, εἰάν ἢ τάξι- τῶν ἐθνῶν κωλύη, μηδὲν ἀποτίθεσθαι τῶν γιγνομένων ὠρεῖσθαι γὰρ δὲ τῆς πενοποιίας τὸ πλῆθος. Εἰάν δὲ ποισίγηται, παρὰ ταῦτα συνδυάζονται πρὶν αἰδοῖσθαι ἐγγείσθαι καὶ ζῶν ἐπιειδέσθαι δὲ τὴν ἀμύλασιν.* De exponendis alendisque factibus esto lex: ut nihil alatur mancum, aut membrum orbatum, Propter filiorum autem multitudinem si fetus exponi morum instituto prohibeantur: determinanda enim est procreandorum filiorum multitudo. Sed si cui fuerit aliquid præterea

genitum, abortionem ante sensum & vitam facere conveniet. Quis credere posset, talia magistratus voluisse docendo approbari, qui Aristotelem in Politicis præcipue explicandum injunxerunt? Nonnè id potius statuendum cum sæpius laudato Sturmio cap. 5. de philosoph sectar: & Electiva p. 70. Nunquam eam fuisse nutritoribus Academiarum sententiam, quæ dissensum ab Aristotele nusquam ferret, sed hoc inprimis cautum istis legibus esse videtur, ne (quod avorum nostrorum memoria metuebatur e Ramæa Schola his autem nostris temporibus Cartesianna minatur periculum) subrepens nova philosophia secta, antiqua penitus expulsa, novas in re literaria pariter & publica turbas daret. Alioquin Aristotelicam philosophiam scholis ac Professoribus suis non nisi ea tenus commendasse tradique voluisse providentissimos Scholarum Curatores, quatenus ea sacris literis præcipue, dein veritati, rationis rectæ principiis & experimentorum evidentiae non repugnant, non solum rescripta quedam peculiaria olim noviterque declararunt, sed quotidiana philosophorum per omnes Academiæ & inculcata quidem eaq; nec improbata unquam praxis abunde docuit. Proinde nullam inobedientiae notam metuendam habent, qui studium Eclecticum commendant, sed fidelius mandata superiorum exequi censendi sunt, quam qui intra orbitam unius sectæ decurrunt, id quod ex dicendis clarius apparebit. Discussis igitur illis quæ objici posse videbantur, media lustrabimus introducendæ Philosophiæ Eclecticiæ propinqua & remota. Inter illa primo loco nominamus Historiæ Philosophicæ majorem culturam. Dum historiæ mentionem facimus, non possumus non optare, ut stu-

dio ejus tanquam rei omnium maximè necessariæ & utilissimæ majori ardore incumbatur, quam factum est hætenus. Non sine causa enim Celeb. Christianus Thomafius illam & Logicam genuinam duo lumina solidæ eruditionis appellat Cap. 1. Doct. Log. Quippe nulla disciplina, nulla facultatum superiorum quas vocant, rectè & cum quadam gratia tractari potest, sine historiæ auxilio. Unde & Philosophia vehementer illa indiget, neque ad eximiam aliquam partium ejus cognitionem, pervenire licet, si hæc non alluceat faculam discipulis. Quod sicut extra controversiam est, ita non sine causa voto flagrantissimo expetunt Viri docti ut magis historia philosophica excolatur, defectusque ejus, quos quidem habet quam plurimos, suppleantur. Non enim existimandum est, illam jam perfectione sua gaudere, & ea completi, quæ prudentior aliquis desiderare possit. Laudanda quidem est opera quorundam Veterum, ut, Diogenes Laertii, Hefychii Illustrii & aliorum, & ex recentioribus Johannis Gerhard. Vossii, Georg. Hornii Joannis Jonsii & reliquorum, qui Sectas certas suis lucubrationibus illustrare conati sunt. Verum, si rem rectè putemus nondum hi viri licet doctissimi omnia exhausserunt quæ ad hoc argumentum pertinent. Potuisset sanè præ ceteris Vossius, tanquam Seculi nostri Varro hunc quoque laborem cum applausu Orbis eruditi absolvere, nisi operi isti de sectis philosophorum immortuus esset. Hodienum quoque essent Polyhistorum in Europa nostra, qui anxio huic literatorum

deside-

desiderio satisfacere possent. Forte & jam satisfactum esset ante annos aliquot, si fuissent, qui cum Andreâ Müllero B. M. Præposito quondam Berolinensi amicas manus jungere, & consiliis ejus saluberrimis locum relinquere voluissent. Intelligitur hoc ex ejus propositione historicæ Societatis (cujus mihi copiam fecit amicus) quam suppresso nomine suo ante annos ni fallor decem in publicum emisit. Ex illa quædam excerptam, quo appareat, quid expectare ab hoc Viro potuissemus. Ita autem ille.

Salvete.

Viri Literarum amantiore, & secundum cujusq; virtutum ac Honorum gradus colendissimi,

Sic pauca hæc à me accipite.

1. Quanti sit Historiarum rerum, quæ subinde obveniunt, perspectam habere, & quanto amabilior faciliorq; sit introitus ad notitiam & usum illarum rerum, si origo & incrementa cum reliquis circumstantiis prægustata sint, neminem Eruditorum fugit.

2. Quare cum passim literariæ societates jam dudum & præprimis hoc seculo vigere ac florere cœperint, aliique alias adhuc institui desiderent, ego quidem circa Historicam aliquam Societatem laborandum esse censui.

3. Si nempe sint viri Docti, qui consilio & ope, nervo etiam rerum gendarum, juvare studium hoc non graventur.

4. Est enim Vir quidam literatus, Vigilantii Cunctatoris nomine hætenus noscendus, qui præter alia omnigenæ

Scien-

G

Scientiæ monumenta, etiam Historiam nullarum non rerum possidet, eamque nervosè conscriptam, secundum annos digestam, & auctoritatibus firmatam.

5. Plerorumque summam dabit sequens Titulus: HISTORIA ANNARIA Omnigenarum Observationum.

HISTORIA.

e. g.

Animalium,

In genere, omnium ut alii post alios hanc Historiam tractarunt etc. in Specie e. gr.

Aquilarum, Crocodilorum, Elephantum, etc.

Arte factorum, e. g. Bysfi, Porcellanarum. etc.

Artium, in genere omnium.

in Specie e. gr. Typographiæ,

Horolog. &

Biblicarum Versionü & simil.

Bibliothecaria.

Ecclesiasticorum Rituum, e. gr. Benedict. Sacerdot. Ordinationis etc.

Gentium & Populorum, in genere omnium, ut una post aliam innotuit.

In Specie, e. gr. Gothorum, Israelit. X. Trib. Leavarum, quibus olim Presbyteri Johannes, quos vacant, imperitarunt, Perfarum, Saxonum, Scytharum, Tartarorum, Vandalorum, etc.

De Gentium Migrationibus.

Hæresium & Sectarü, in genere, omnium ut una alteri succedit.

In specie, e. gr. Manichæorum, Karæorum, Qua-Kerorum, Schafæorum, etc.

Hæsitantiæ confessæ.

Inventorum, in genere omnium etc.

in specie. hæc singula quærenda sunt sub suis Titulis, ubi Inventorum

pro-

gressus & incrementa ref.

Juris, In genere universi, ut Leges aliæ post alias latæ sunt etc.

In specie, Publici & Privati, Gothici, Magdeburg. Romani. etc.

Lingvarum In genere, omnium, ut una post alteram nota est.

In Specie, e. gr. Arabicæ, Kopticæ, Malaicæ Mexicana, Slavica, etc.

Literarum & Scripturarum in genere omnium etc.

In Specie Phœnicicæ, Græcæ, Philippinæ, etc. Tachygraphicæ. Steganographicæ etc.

Literaria generalis.

Morborum in genere, etc.

in specie, Scorbuti, etc.

Navigationum

in genere, etc.

in specie (Quærenda sub titulo Locorü ad quæ navigatum est.)

Nihili

Nummaricæ Rei & sim.

Personarum utriusque sexus e. gr. Principis huius illius, Viri Docti, Scriptoris, etc. etc.

(Sub his titulis gesta & Scripta cujuslibet latè narrantur.

Quæ in reliquis titulis tantummodo indicantur.)

Eorum, qui primi hoc illud negotium tractarunt Eorü qui Primi hoc illud observasse sibi visi sunt.

etc. etc.

Punctorum Vocalium e. g. Arabicæ etc.

Religionum (etiam obscurissimarum) universi orbis e. gr. Chozarcæ, Mengrelia, etc.

Schachici Ludi, & Simi-

Scientiarum

in genere, omnium,

in specie, e. g. Arithmeticæ, Astronomiæ, etc.

Societatum Literariorum.

Theologicorum dogmatum e. gr. de Trinitate,

G 2

te, Evcharistiâ Scripturâ S. etc. In specie, e. gr. Culconis, Hierapolis, Urbium, Oppid. Pagorum, villarum, etc. In genere multarum, ut alia post alias conditæ sunt

Nunc postquam fato concessit Vir hic omnigenæ Doctrinæ laude Clarissimus, ingenti damno affecta esteres literaria, præsertim cū Mæcra Sua quovis thesauro pretiosiora, paucis ante obitum diebus cremari iusserit, Satis apparet, Virum hunc indefessi laboris magniq; iudicii ea potuisse præstare, quæ dudum desideravit perspicacissimus Verulamius lib. 3. de Augm. Scient. cap. 3. ubi, optarem, inquit, ex Viris antiquorum Philosophorum, ex fasciculo Plutarchi de placitis eorum, ex citationibus Platonis, ex confutationibus Aristotelis, ex sparsâ mentione, que habetur in aliis libris, tam Ecclesiasticis quam Ethnicis (Lactantio, Philone, Philostrato, & reliquis) opus confici cum diligentia & iudicio de antiquis philosophiis. Tale enim opus non dum extare video. Attamen hic moneo, ut hoc fiat destincte, ita, ut singule Philosophiæ seorsim componantur, & continuentur, non per titulos & fasciculos (quod Plutarchus fecit) excipiantur. Quævis enim Philosophia seipsam integra sustentat, atque dogmata ejus sibi mutuo & lumen & robur adjiciunt, quod si distrahantur, peregrinum quiddam & durum sonat. Certe, quando apud Tacitum lego facta Nervonis & Claudii circumstantiis temporum, personarum, & occasionum vestita; nil video, quod à probabilitate prorsus abhorreat: cum vero eadem lego in Svetonio Tranquillo per capita & communes locos, minimeque in serie temporis repre-

sentata, portenta quedam videntur & planè incredibilia. Neque abimilis est ratio philosophiæ, quando proponitur integra, & quando infrusta concisa & dissecta. His illustrandis addantur, quæ idem Verul. tradit lib. 2. de A. S. cap. 4. Ibi enim doctrinarum & artium antiquitates, progressus, peragrationses, per diversas orbis partes, rursus declinationes, obliviones, instaurationes, inventionis occasionem & originem, tradendi morem & disciplinam, colendi & exercendi rationem & instituta, sectas, controversias maximè celebres, quæ homines doctos tenuerunt, Scholas, successiones, Academias, societates, collegia, ordines commemorari desiderat. Conf. Morhoff. Polyhist. Cap. 2. Hæc omnia si vel unus ex eruditioribus hodiernis (quod tamen vires humanas superare videtur) vel plures effecta darent, multa sine dubio nobis recluderentur mysteria, multæ tollerentur cruces, quas subinde figunt Plato, Aristoteles & alii scriptores antiqui. Et tum utique quod secundum nobis medium est perveniendi ad veram philosophiam, magno studio perquirere & perscrutari possent excitatiora ingenia sectas omnes, & earum placita Sic non tanta amplius esset ignorantia Philosophiæ Pythagoricæ, Platonicæ, & ipsius Aristotelicæ in fontibus suis, quas utique penitus introspicere magnum operæ pretium est. Enimvero quotus quisque reperitur, qui has sectas ita cognitatas habet, ut possit, si de dogmate aliquo quæstio moveatur ex singulis illis ostendere, quid vel primus autor, vel ejus sequaces statuerint, & in quibus inter eos vel concordia fuerit vel dissensus.

Seitarum omnium etiam judaica philosophia investigatio.

Egregios se multi Philosophos putant, si systema a-
 liquod Peripateticæ vel Cartesianæ Philosophiæ
 quodammodo sibi familiare reddiderint, ut de re-
 bus notissimis ex parte etiam infructuosis possint
 more hactenus recepto aliqua differere. Quæ an-
 tiquitatem sapiunt, exoleta esse putant, & nullius
 hisce temporibus usus. In quo quidem vehemen-
 ter falluntur. Præterquam enim quod veri Philo-
 sophi sit, antiqua cum recentioribus conjungere
 (quemadmodum & Salvator Theologi proprium
 esse pronunciat, Math. 13. v. 52. ἐμβόλιον ἐκ τῆς θη-
 σαυρῆς αὐτῆς καὶ παλαιῆς) ut tanto facilius animad-
 vertat, quæ philosophemata verè nova & quæ ex
 antiquitate protracta sint: in eo præcipuè laus ve-
 rè eruditi consistit, ut veterum sententias de rebus
 variis in numero habeat, perpendensque eorum,
 in quamplurimis cæcitatem, gratiam divinam his
 temporibus concessam cognoscat, & humiliter de-
 prædicet; præsertim cum causam istius cæcitatæ
 præcipuam esse intelligit Verbi divini ignorantiam.
 Ceterum in hisce talibus egregiè adjuvaren-
 tur in Academiis præclara ingenia, si illis post in-
 culcatam Philosophiam receptam εἰσοδία quædam
 in sectas omnes pararentur à Viris multijugæ le-
 ctionis, magnæ prudentiæ, magnique laboris. Pro-
 desse quidem illis non parum possunt labores illo-
 rum, qui sectas singulas illustrare conati sunt, ut
 Lipsii Thomasi, Gassendi, Marsilii Ficini; sed præ-
 ceptis tamen præmuniendi essent antequam lecti-
 onem talium Autorum aggredierentur, quo sic ob-
 servare facilius possent παραλειπούμενα, & in obscuri-
 oribus

oribus clariorem lucem haberent quam sequerentur.
 Non vero in sectis Græcorum & Barbarorum
 subsistendum, sed ad Philosophiam veterum
 Judæorum quoque transeundum esset. Hujus quæ-
 dam extare vestigia in Ægyptiorum Brachma-
 numque doctrina (quam sparsim in autoribus repe-
 rias licet) fatebuntur, qui Barbaricæ Philosophiæ
 non prorsus ignari sunt. Sed utinam purior illa
 & incorruptior Judæorum Philosophia restitui no-
 bis posset, quod post Pocockium nuper optavit Do-
 ctor Spenerus, magna sine dubio lux affulgeret plu-
 rimis scripturæ locis difficilioribus, in quibus dex-
 trè explicandis se hactenus torserunt interpretes.
 Dum vero systemata sectarum saltem famosiorum
 perlustrare debent Philosophiæ consecrati hoc il-
 lis etiam atque etiam suaserit vir Prudens, ut in
 singulis sectæ alicujus disciplinis præsertim ad con-
 nexionem respiciant. Monitum hoc videtur vul-
 gare prorsus & protritum, sed proh. dolor! nimis
 quam id pluribus expedit, neglectum. Rarò enim
 reperias, qui sic v. g. Peripateticam vel Cartesianam
 Philosophiam addiscunt ut videant, ex quibus prin-
 cipiis singula dogmata deducantur, & quæ sit in-
 ter illa cohærentia; Non segniter officio suo se fun-
 ctos esse existimantes, si, quid de hac vel illa mate-
 ria statuatur Autor, quodammodo perspectum habe-
 ant. Fatendum quidem est methodum illam tra-
 dendis disciplinis per Systemata incrementis scien-
 tiarum non parum obstitisse, prout hoc etiam ob-
 servat prudentissimus Verulamius lib. 1. de A. S. p.
 m. 22. Quando: alius error inquit, à reliquis diversus,
 est

est prematura atque proterva reductio doctrinarum in artes, & methodos, quod cum sit, plerumque scientia aut parum, aut nihil proficit. Nimirum ut ephēbi, postquam membra & lineamenta corporis ipsorum, perfectè efformata sunt, vix amplius crescunt: sic scientia, quamdiu in Aphorismos & observationes spargitur, crescere potest, & exurgere, sed methodis semel circumscripta, & conclusa, expoliri forsam & illustrari, aut ad usus humanos edolari potest, non autem porro mole augeri. Postquam tamen semel est introducta hæc methodus, eo etiam modo addiscibent scientiæ quo eas tradiderunt conditores Systematum. Nam & sic observari haut difficulter potest, ubi aliquid vel hiuleum, vel malè coherens, vel alienum est à scopo. Dum verò sic tractantur disciplinæ, necessarium quoque fuerit subinde discipulis inculcare, quod Eclecticæ philosophiæ studioso imprimis conveniat humiliatio spiritus ut phrasi utar Verulamiana. Errant enim illi & vehementer errant, qui, postquam non unius sed omnium sectarum placita sic perquisiverunt, ut ea norint veluti digitos suos, multum se jam sapere, & tantum non omnia scire existiment. Talibus illud in animum sæpius revocandum est, quod Johannes Ludov. Viv. Lib. I. de trad. Discip. p. m. 380. scribit: *Quæ spatia consecerit & quousque pervenerit, mirabile admodum fuerit si quis per se contempletur, sin verò ad ea conferat, quæ non est consecutus, vix eum existimet, pedem extra limen posuisse. Adeo quæ possidet pauca sunt & obscura.* Et quod Verulamius pronuntiat in præf. Nov. Org: *Si quis in omnem illam librorum varietatem qua artes & scientiæ exultant, diligentius introspiciat,*

Humiliatio
spiritus hu-
mani.

ciat, ubique inveniet ejusdem rei repetitiones infinitas tractandi modis diversas, inventione preoccupatas, ut omnia primo intuitu numerosa, facto examine pauca reperiantur. Qualia si cogitent, qui sapientiæ incumbunt, non facile cristas sument & altum supercilium, tantoque majorem diligentiam adhibebunt in augenda rerum cognitione, quanto magis sibi conscius sunt, tam exiguas esse copias suas, ut, si in aciem contra ignorantiam educendæ essent, hæc dubio procul numerosiores opponere posset. Manebit quippe verissima illa epigraphe, quæ non nemo bibliothecæ suæ januam exornavit:

Quantum est quod ignoratur.

Spiritu humano sic humiliato, ut de scientiæ sua non nimis magnificè sentiat, necessum quoque est illam disputandi rationem observare quam præscribit Philosophia Eclectica. Optimum philosophantium exercitium est disputatio, sitalis sit, qualem exposcit accurata veritatis investigatio. Non enim facile certitudo scientiæ acquiritur, nisi hoc cribrum accedat, per quod quæ scientiarum granis adherent arcera & quisquiliæ excernuntur penitus & separantur. Sed si perperam illa instituat, & gratia omni & fructu suo destituitur. Fit hoc non solum, cum illis disputandi partes injunguntur, qui per ætatem illas sustinere non possunt, quippe immaturi judicii, neque ea facundia præditi, qua hic imprimis opus est, ut proinde pygmæorum & gruum certamen institui videatur, quemadmodum de hac re judicat alicubi doctiss. Casellius: Verum etiam cum illi in hanc arenam de-

Disputatio-
nes debito
modo insti-
tuta

scendunt, qui annis quidem maturi, sed artis disputatoriae prorsus imperiti, & in rebus illis, de quibus disputandum parum vel prorsus non versati sunt. Nam tunc quidem illis necessario confugiendum ad Autores, qui unum vel alterum argumentum subministrare possunt, quod ubi fideliter exscriptum, & multa cum hæsitacione prolatum est, fons sapientiæ illorum protinus exarescit. Deinde & hoc rectè disputandi methodo prorsus repugnat, si ostentationis & vanæ gloriolæ causa ejusmodi certamen suscipiatur. Nam cum unicè veritatis vel demonstrationis vel confirmatio hic intendi debeat, indecorum omninò & sapientiæ studio planè adversum est famam quærere & plausum aliorum. Juvat hic verba Johannis Ludov. Viv: ex lib. i. de Causa Corrupt. Art p.m. 66. & seqq. audire. *Disputationes quæ non leviter exocularunt iudicium: fuerunt quidem olim, sed inter juvenes, institutæ disputationes, quo excitaretur vigor ille animi sæpè torpens, & alacriores essent ad studia, vel ut vincerent, vel ut ne vincerentur. Tum ut altius insurgerentur, quæ à magistris accepissent. Inter viros aut natu grandiores fuit quedam opinionum ac rationum collatio, non ad victoriam intenta, sed ad enucleandum verum. Nomen ipsum testatur dici disputationes, quod per eas veritas cœn putaretur ac purgaretur. Postea vero quam ab Auditoribus profecta est laus & pretium ad eum qui optime videtur sensisse, & ex laude sæpenumero divitiæ acopes: præbæ vel honoris vel pecuniæ cupiditas animos disputantium invasit, ut tanquam impugna, sola spectaretur victoria, non elucidatio veritatis; ut & ipsi quidquid semel dixissent, strenuè tuerentur, & adversarium prosternerent ac conculcarent.*

rent. Humilibus & sordidis ingenis, quique dejecto capite hæc sola intuerentur levia & momentanea, parū est visum magnū premium ab studiis probitas aut veri intelligentia, quæ duo illi quod non satis acutè cernerent, nec quantæ essent estimationis assequerentur, præsentem mercedem quesierunt pecuniæ, vel aura popularis. Ideo quò majus esset operæ pretium, populum ad sua certamina admiserunt tanquam Spectatores fabulæ in theatrum productæ; tum, quod fieri ad confessum parerat, philosophus deposita illa tam gravi & veneranda persona, histricam induit, ut commodius saltaret: factus est populus spectator, arbiter, iudex; & quod non facit aule dux in scena, fecit philosophus in schola, ut tibias non sibi & musis aptaret, quod monet vetus magister, sed omnino coronæ ac multitudini, à quo rediturus erat ad actores honor & questus. Nihil opus fuit vera solida doctrina non intellecturus, sed fucus & pulvis ob oculos multitudinis objectus. Ergo indagandi veri una & simplex via est relicta: faciendi fuci aperta sexcenta, quæ quisque ut commodum sibi esset, grassaretur, præsertim cum nihil sit tam deforme quin autorem inveniat. Nec solum in hanc opinionem populus cucurrit, finem discendi esse disputare; ut militiæ, conflictum: verum publicus consensus permultos veteranos & quasi triarios Scholasticæ militiæ rapuit (sed qui ingenio, & iudicio non plus valent quam plebs infima) ut supervacaneum esse ac stultum censeant, si quis ad mentem & mores & quietum illud inquirendi genus, philosophiam revocet; nullum esse alium studiorum fructum, quam præsentis animo non cedere adversario; intrepidè eum vel aggredi, vel sustinere, vel callere quo robore, quæ arte, quæ supplantatione, sit subvertendus. Ergo in repulcherrimâ omnium præstantissimâ, consultum fuit statim assuefacere puerum, & eum perpetuo

exercere: altercandi statim natis initium, finis nullus nisi cum morte. Jungantur his, quæ piè admodum & prudenter monet D. Spenerus in Præf. ad Tab. Hodosoph. Danhaverip. 53. 54. Quæ si probè observentur, utiles erunt disputationes & jucundæ, non disputantibus solum, sed ipsis etiam auditoribus, quorum sæpè gratia publica ejusmodi exercitia instituuntur. Quod hic a quibusdam opponi potest, ac si nimirum junioribus disputandi exercitium ideo non sit interdendum, quod ansam sic habere possint facundiam comparandi, & parrhesiam, responsionem vix meretur. Nam, qui neque res intelligunt, neque in eloquentiæ studio prima tyrocini rudimenta deposuerunt, à talibus omninò arcendi sunt. Sicut verò in disputationibus hæc attendenda essent ita & conversationi eruditæ inter philosophantes major danda esset opera. Sic enim illa, quæ ad investigationem singularum sectarum spectant; felicius expedirentur, & modo colloquendi affuescerent Eclecticæ philosophiæ convenienti; si nimirum inter juvenes ingenio & industria pares ita conveniret, ut privatim legerent, quidquid de secta aliqua illis cognoscere liceret, & postea amicè inter se de talibus conferrent, uno recitante summa sectæ capita, & aliis inter auscultandum observantibus, quæ vel addi vel corrigi possent, quo sic stadium hoc emensis constare queat in quo & quare à se invicem abeant sectæ. Necessarius videtur hic labor quamdiu desideratur absoluta & perfecta historia philosophica quâ si orbem eruditum bearet aliquis, jam quidem labore conquiren-

Conversati-
ones erudi-
tae

di varia superfedere possent industrii philosophiæ Cultores, sed modo tamen placidè & moderatè conferendi sententias assuescerent, præsertim si leges inter illos observarentur. Excitare eos vel imprimis ad charitativam hanc conversationem possent exempla, quæ de Pythagoricis & Platonicis passim consignarunt scriptores, inter quos præcipuè legi meretur Jamblichus in vitâ Pythagoræ p. m. 197. 201. & 202. cui jungas licet Scheferum cap. 14. de Nat. & Constit. Philosoph. Ital. Quæ Morhofius in Polyhist. cap. 15. de conversatione erudita differit, ad omnes eruditos spectant, cum nos hic de junioribus philosophantium solliciti simus. Instrumentalium quoque disciplinarum, quæ in Philosophia usum habent insignem, luculentior solidiorq; tractatio multum conferre possent ad studium philosophiæ Eclecticæ promovendum. Logicam hic & Metaphysicam à me designari nemo rerum paulò peritior ignorabit. Has quidem vulgo non negligi, sed diligenter satis inculcari in scholis pariter & Academiis non diffiteor, sed utinam non præposterè id fieret, & majori cum fructu audientium, qui, si judicio nondum polleant ad ejusmodi *ἀπορίσεις* utique admitti non debent. Quod Metaphysicam vel *θεολογίαν*, quo nomine commodius appellatur, attinet, illius explanatio felicius succederet, si, qui eam docent, primo ostenderent discipulis quo loco illa sit habenda. Non enim hodiernæ Metaphysicæ splendor illos titulos Philosophiæ primæ, primæ scientiæ, Regiæ scientiarum etc. competere, omnino discipulis scire inter-

Instrumentalium
disciplinarum
luculentior tra-
ctatio.

est, ne, dum tam magnifica audiunt nomina, se postmodum deceptos esse querantur, si pro thesauris carbones inveniant. Hodierna enim illa Metaphysica tam similis est Aristotelicæ, quam simius aut Cercopithecus homini, quod præceteris solidè & eruditè ostendit diligentissimus Jacobus Thomaeus in historia sua Metaphys. & Schediasm. Histor. quæ vid. Deinde ubi auditor cognovit, *ὀρεολογία* hanc non esse principalem sed instrumentalem disciplinam, nec nisi pro Lexico philosophico habendam, discrimen quoque ejus indicandum est à philosophia vel scientia universalis. Cognoscere hoc possumus ex Verulam: lib. 3. de A. S. cap. 1. *Postulat res, ut priusquam prioris partitionis membra persequamur, constituatur una scientia universalis, quæ sit Mater reliquarum, & habeatur in progressu Doctrinarum, tanquam portio viae communis; antequam via se separent, & disjungant. Hanc scientiam Philosophiæ primæ, sive etiam sapientiæ (quæ olim rerum divinarum atque humanarum scientia designabatur) nomine insignimus. Huic autem scientiæ nulla alia opponitur; cum ab aliis scientiis, potius limitibus, intra quos continetur, quam rebus & subjecto differat, fastigia scilicet rerum tantum modo tractans. Hanc ipsam utrum inter Desiderata reponere oporteat, hæsito; sed arbitrator tamen poni debere. Equidem invenio farraginem quandam, & massam inconditam doctrinæ, ex Theologia Naturali: ex Logica: ex partibus quibusdam Physicis velut de Principiis, & de Anima, compositam, & congestam, & sublimitate quadam sermonis Hominum, qui se ipsos admirari amant, tanquam in vertice scientiarum collocatam. Nos vero misso fastu, id tantum volumus, ut designetur a-*

liqua

liqua scientia, quæ sit receptaculum axiomatum, quæ particularium Scientiarum non sint propria, sed pluribus earum in commune competant. Quæ ulterius explicat cap. 4. Paret ex illis quæ supra deservimus disjungere nos Philosophiam primam à Metaphysica, quæ hætenus pro eadem habitæ sunt. Illam communem scientiarum parentem, hanc Naturalis Philosophiæ portionem posuimus. Atque Philosophiæ primæ communia & promiscua scientiarum Axiomata assignavimus. Etiam Relativas; & adventitias Entium Conditiones, (quas Transcendentes nominavimus) Multum, Paucum: Idem, Diversum, Possibile, Impossibile, & hoc genus reliqua, eidem attribuimus; id solummodo cavendo, ut Physicè, non Logicè tractentur. Illa Axiomata, quæ in quorundam Metaphysicis libellis singulis capitibus subjunguntur, non continere, quæ Verulamius vult, facile doctiores concedent. An. B. D. Calovius & quiescunt sequuntur in Noologia, hunc defectum suppleverint, aliorum esto iudicium. Denique ad debitam *ὀρεολογίας* explicationem necessaria esset major copia perspicuorum exemplorum, ut uno quasi conspectu Auditor deprehenderet in quibus disciplinis, quibusve controversiis istorum terminorum usus sese exerat. Non nego, à quibusdam Viris Doctis qui Metaphysicas exemplares ediderunt aliqua hic esse præstita, sed plura etiamnum superesse præstanda, fortassis harum rerum gnarus ultro largietur. In Logica quoque Doctrina proponenda aliter procedendum esset quam hætenus fecerunt multi. Nam pueros vel adolescentulos qui ad hanc disciplinam idoneos iudicant, audiant Magnum Verulamium lib. 2. de A. S. p. m.

41. sic

41. sic differentem: Pro more receptum est (licet, uti mihi videtur, perperam) ut literarum studiosi Logicam, & Rhetoricam, præpropere nimis addiscant; artes sane provectioribus magis convenientes, quam pueris, & tyronibus. Etenim hæc due, si verè res perpendatur, sunt ex artibus gravissimis cum sint artes artium, altera ad iudicium, altera ad ornatum. Quin etiam regulam & normam continent, res & materiam subjectam vel disponendi, vel illustrandi. Ideoque id agere, ut mentes rerum ignare, & rudes (quæque nondum id collegerunt, quod à Cicerone Sylva vel supellex appellatur, id est materiam, & copiam rerum) initium ab istis scientiis sumant; (ac si quis discere vellet ponderare, vel metiri, vel ornare ventum) haud aliud profecto parit, quam ut harum artium virtus & facultas (quæ permagne sunt; & latissime diffuse) fere contempta jaceant, atque vel in puerilia sophismata affectionesque ridiculas degenerent, vel saltem existimatione sua haud parum mulctata sint. Quin etiam præmatura & intempestiva ad has artes accessio dilutam earum atque jejunam traditionem ac tractationem necessario secum traxit, qualis nimirum captivi puerorum adaptetur. Præterea illi errori tanquam solidæ doctrinæ noxiò renunciandum esset prorsus, quem hætenus defenderunt plurimi, Logicam Aristotelicam medium esse cognoscendi veritatem. Aliter prorsus & quidem recte iudicat Cartesius de Methodo p. m. 9. Diligentius examinando animadverti, quantum ad Logicam, syllogismorum formas, aliaque ferè omnia ejus præcepta non tam prodesse ad ea quæ ignoramus, investiganda, quam ad ea quæ jam scimus aliis exponenda, vel etiam ut ars Lullii ad copiose & sine iudicio de iis quæ nescimus garriendum. Et quamvis multa habeat verissima

& optima:

& optima: tam multis tamen aliis vel supervacuis, vel etiam interdum noxiis adjuncta esse, ut illa dignoscere & separare non minus sepe difficile sit, quam Dianam aliquam aut Minervam ex rudi marmore excitare. Huic iudicio subscribunt magno numero eruditi, & in eo toti sunt, ut Logica doctrina repurgetur magis magisque, & ad usum ita aptetur, ut tricis & næniis explosis reperiat tandem instrumentum, quo in Theologia & Philosophia feliciter uti possimus. Jam & illud veræ solidiorisque Philosophiæ studio dignitatem conciliaret & æstimationem, si non promiscue quilibet ad honores philosophicos admitterentur, sed illi solum quorum præ ceteris est conspicua eruditio, quique saltem ea præstare possent, quæ in Academiis benè constitutis leges præscribunt. Suo jam tempore questus est Johannes Ludovicus Vives pessimum in re optima surrepissè abusum. Merentur hic integra exhiberi verba, quæ leguntur lib. i. de Caus. Corrupt. Art. p. m. 104. & 105. Excogitati sunt in publicis Academiis quidam velut honorum gradus, non malo utique, sententia mea, consilio. Nam ut Romæ sub Cesaribus non licebat cuivis de jure respondere, sed cui hoc esset à Principe concessum, ita rectoribus Scholarum visum est arcere à professione artium imperitos. Eos vero quos ad hoc magno adhibito iudicio & severo examine dignos censuissent, ut gradu aliquo honoris insignirent, baltarios dixerunt, vocabulo vetere lingua gallica usurpato in tyrocinio militiæ de iis, qui jam prælio interfuissent, ideo longe alio, quam vulgo creditur, etymo: Sed non hoc agimus: hinc licentiatos quasi facta copia quancumque velint, magistratos fieri, postremo magistros & doctores. Verum quod

Honorum
Academicarum
iusta
collatio.

Schola nonnunquam opus esset pecunia ad sumptus inevitabiles velut alendis ministris publicis, gymnasio conservando sarto tecto, imposita est summa pecunia iis, qui honores inirent: à primo modica, quæque necessariis impenderetur usibus. Expetit eum dignitatis locum indignus aliquis & quod eruditione atque ingenio prestare non poterat, tentavit iis, per quos ageretur, corrumpendus: alius adortus est illos gratia, alius promissis, alius presenti pecunia. Ubi semel sancti prius, atque incorrupti homines lucri dulcedinem gustaverunt, is sensus reliquos omnes semel extinxit, certasque statuerunt summas, quas illi penderent, qui admitterentur ad honores, quarum pars Scholæ & ministris ejus cederent, pars magistris & Scholarum rectoribus: nec providerunt quantam literis, artibus, disciplinis, orbi toti, qui ab iis regitur, ac disponitur, cladem & ruinam adferrent, promiscue quibuslibet admittendis sed potentior fuit respectus exigui commodi, quam damni publici in universam hominum gentem. Igitur questuosares cæpit esse scholarum regimen, & emptum est non secus ac mercimonium promerciale, ut revenderet, qui erat mercatus: questum est pretio, ambitu, & ne quid deesset dedecori ac indignitati, armis quoque. Qui erat adeptus agebat propter quod questerat: nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegata est ei, qui numeraret. Sed ut sciretur quanti ordinariè emeretur dignitas, statuta est certa summa pecunie, qua minorem nefas est accipere, de majore fas est liceri: definitum etiam tempus, & assignati qui examinarent. Annon hodiernum hic justa querela institui debeat, judicent, quibus detestandum quarundam Academiarum Cacoëthes non ignotum est. Non audienda hic illa excusatio, qua nonnulli φιλαργυγοὶ utuntur, quando mani-

ifesta

ifesta nimis est illorum ruditas & ignorantia, quos titulis & honoribus ornare non dubitant quod, scilicet gradus illi stimuli sint & incentiva ad majorem instudiis diligentiam. Enimvero in talibus quæ leges accurate definiunt, nulla conceditur privatis arbitrandi potestas. Imò manifestum crimen falsi committitur, quando eos declaramus Doctos vel potius Doctores, qui sunt fraterculi ignorantiae. Nec injuria quæritur, annon hic locum habeat illud quod graviter monet Apostolus Rom. 3. v. 8. Denique incertum est, an talibus magistris ista dignitas calcar additura sit ad majorem in studiis diligentiam. Plerique, ut ait Ludoy. Vives loc. alleg: *Adepti quæ concupierant, omni renunciant labori, & si eruditione non queant, certè nomine se auctoritatem suam tuituros confidunt.* Hæc si ritè observarentur Philosophiæ Eclecticæ studium plerisque magis esset curæ cordique. Deinde & hoc illud egregie promoveret, si ejus cultores, siquidem Christiani sunt cum illo conjungerent exquisitiorem Theologiæ cognitionem, etiam si spes nulla esset ad illa munera aspirandi, quæ Theologis demandari solent. Quamquam enim multum ab invicem differant Philosophia & Theologia, & nulla prorsus ratione sint commiscendæ, benè tamen conveniunt, & in una fede morantur. Quin adeo necessaria est Theologia Philosopho Christiano, ut si illam negligat, & iis acquiescere velit, quæ ex Philosophia hausit, nequaquam veri Philosophi nomen tueri queat. Quomodo enim sibi cavere poterit ab illis, quæ Theologiæ luminibus officiunt, nisi hanc habeat exploratam,

Conjunctio
studii
Theologicæ
cum philo-
sophiæ

ratam. Multi sibi temperassent ab Heterodoxiâ & crassos errores vitassent, si in schola Spiritus Sancti fuissent aliqua mdiu eruditi. Præcipuè tamen Theologia cognitió, ideo commendanda esset Philosopho, quod Philosophia, quantamcunque etiam perfectionem habeat, hominem sufficienter instruere nequeat, eamque *ὁρθότητι* addere, ut sola ratione nixus certitudinem consequatur, qualem sibi vendicat Religio Christiana. Exemplo uno vel altero illustrabimus. Cicero ad Antonium lib. i. Tuscul. Quæst inquit: *Exolve diligenter librum Platonis, qui est de anima, amplius quod desideres nihil est. At Antonius, feci, inquit, mehercle, & quidem sapius: sed nescio, quomodo, dum lego, assentior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cogitare incipio, omnis illa assensio labitur.* Sic & Cleombrotus, cum legisset eundem librum Platonis, probabat quidem dum legebat, statim tamen vacillabat iterum, & tandem ut videret, vera ne essent, quæ Plato disputarat, de muro se præcipitavit, ut hinc moreretur. Vid. August. lib. i. Cap. 22. de C. D. Et Theophilus Spizelius in suo literato felicissimo sect. 20. p. m. 372. de quodam familiæ stoicæ Philosopho refert, quod, cum navim, qua vehebatur vehementius jactari & concuti animadverteret, facile clypeum loricamque Philosophiæ suæ (metu prædominante) parum firmos fortesque esse intelligeret: quem cum ex adstantibus quispiam expallescentem trepidantemque conspiceretur, faceret admodum vellicavit, dicens: Heus Tu Philosopho, tu mortem jam timere potes, quam toties in porticibus, toties in dis-

sputatio-

sputationibus ferocissimè laceffivisti & ve'uti in singulari certamen provocasti. Recte igitur Georg. Calixtus Th. 7. de Verit. Unic. Relig. Christ. *Tanta est Natura humane imbecillitas, tanta vero malorum geniorum nequitia & vafrities, ut Gentibus sibimet relictis juxta solius etiam Nature ductum rectè gubernandis lex Nature citra peculiare Numinis auxilium, & singulariter factam revelationem non sufficiat.* Et Chrysofomus Homil. 46. in Cap. 23. Math. *Omnia verba secularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, quamvis sint composita & ingeniosa mortua sunt, quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem Dei.* vid. Meisn. Philosop. sobr: quæst gen. de abusu Philosoph. illegit. Nimirum hæc est prærogativa nostræ sanctissimæ Religionis præ omni mundana sapientia, quod assensum gignat *αἰσθητικῶν* & tantam fiduciam excitet, ut nullo periculo terreantur fideles, nullo metu commoveantur. *Tantam fidem inquit Theodoretus lib. 8. contra Græcos. infixerunt plurimis Apostoli, ut mortem pro his dogmatibus oppeterent, eaque inficiari jubentibus linguas minime proderent.* vid D. Christ Korthol Comment. in Epist. Trajan. & Plin. p. m. 59. seqv. Præterea in profanis scriptoribus quos tractat Philosophus, latent multa, quæ animum legentis inescare & corrumpere possunt, contra quæ studium Theologiæ nos munit, & antidotum suppeditat. Innuit hoc ipsum Lactantius lib. 5. Div. Institut. Cap. 1. *In hoc inquit, Philosophi & Oratores, & Poëtæ perniciosi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suavitate sermonis & carminum dulci modulatione currentium. Mellata sunt hæc venenum regentia.* Ob eamque causam voluit

sapientiam cum Religione conjungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina possit officere: Ut jam scientia literarum non modo nihil noceat religioni atque justitiæ, sed etiam proficit quam plurimum, si is, qui ea didicerit, sit virtutibus instructior & in veritate sapientior. Quæ omninò evincunt Philosopho Christiano dogmata Theologiæ non perfunctorie esse cognoscenda, non solum ut ab erroribus sibi caveat pestilentibus, sed etiam ut majorem obtineat certitudinem, & ad perfectionem illam perveniat, quam frustra quærit in sapientiâ seculari.

CAP. III.

de

Mediis Remotis.

Conspectus.

<i>Scholarum sollicitior cura.</i>	<i>erga discentes, horumque fide-</i>
<i>Theologia Catechetica fide-</i>	<i>liasis erga docentes fiducia.</i>
<i>lior tractatio.</i>	<i>Judicii à teneris inter do-</i>
<i>Lingvarum epistemonica-</i>	<i>cendum exsuscitatio.</i>
<i>rum celerior comprehensio.</i>	<i>Matura Historia Antiqui-</i>
<i>Major humanitas doctiun-</i>	<i>tatumque cognitio.</i>

Quæ hætenus dissertavimus, ad discentium superiora subfellia, adeoq; vel Academias, vel Gymnasia meliora pertinent. Nunc ad ea accedimus, quæ in scholis etiam trivialibus quas vocant, observanda essent Sic enim forman-

formandus est Philosophiæ Eclecticæ Studiosus quemadmodum oratorem tuum formari vult optimus dicendi magister Quintilianus, qui in proem sua instit. Orat. Ego, inquit, cum nihil existimem arti Oratoricæ alienum, sine quo Oratorem non esse fieri fatendum est: nec ad ullius rei summam nisi precedentibus initiis perveniri, ad minora ista, sed quæ, si negligas, non sit majoribus locus, demittere me non recusabo, nec aliter, quam si mihi tradatur educandus Orator, studia ejus formare ab infantia incipiam. Nimirum prudenter hic elegantissimus Barcl. Cap. 1. Jcon. anim: Humanigenæ, sicuti & ceterorum omnium præcipua in cunabulis custodia est. Infantiam enim & pueritiam nisi sollicitè regamus & foveamus, in cassum fere aguntur reliqua. Quare a Scholasticis exercitiis hic incipiendum est. Hæc vero dum mecum reputo, quam vellem vulgatum illud usurpare: ἄλλο δὲ υἱός. Sed nondum ad hanc felicitatem adspirarunt tempora nostra. Malumus adhuc glandibus vesci frugibus jam repertis. Nam quis non agnoscat & hodie de plerisque Scholis (de omnibus enim hoc dicere nefas est) verum esse quod legitur apud Barcl. in Euphorm. part. 1. p. m. 63. Schola nostra periculosis plena sunt scopulis, qui adolescentulorum industriam quotidiano subvertunt naufragio. Et nisi multi génio meliori salutem deberent, etiam optima mentes incurrerent in illa vada, quæ insignis Magistrorum imprudentia collegit. Et quod non diferte magis quam vere scribit doctiss. Bœcl. in comment. ad Berneggerum p. m. 46. 47. Debebat haud dubiè Schola, omnium esse earum rerum officina, quibus Civitas domi forisque rectè geritur, virtutis prudentiæ, actus magistra

Scholarum
sollicitior
cura

stra & moderatrix. Huc intendi fas erat tum eorum consilia, qui illa publici boni domicilia condunt, tum labores administrantium. At vero, quod laude ubique preferatur, quod inter ea, quibus humana carere vita nequit primum appellatur; re ipsa strenue postponitur, despicitur, proculcatur. Utendum est liberâ, sed verâ voce: Quotusquisque Principum, populorum, civitatum, tantum Scholas suas, quantum theatra, ac equorum stabula; Sic rectores juventutis, ut servorum publicorum cohortem, ut mercenarios Scribas, ut cociones sordidos, aestimant? Ubi terrarum impune literis vel tradendis vel discendis occupari licet? Hoc coorta exordio, quæ Scholas obscuravit umbra: his contracta initiis debilitas: hinc pulvere, inaniis, araneis completa omnia. Dum enim misera magistrorum natio, unicum immortale inter mortales splendoris instrumentum, tam indigne haberi, nec ab egestate, sordibus, infamiâ usquam sentit vindicari, primo terretur, mox luget denique inertia & silentio & situ suo proscuto utitur. Audite quam clara sint, quæ dico. Comperi viros, maximis rebus adhibitos, actuque celebri exercitos, postquam ad Scholarum operas se passi sunt invitari, contemptu neglectuque obsolevisse. Accedit genus hominum audax, mobile, subbasilicanum, fastu tanquam negotiis suffarcinatum, adornatum verbis, generosum supercilio, simulatione splendidum, non odio magis Scholastici nominis quam exitio innutritum. Causam hujus miseriæ Vir. hic judiciosissim: præcipue quærit in contemptu ludi moderatorum. Consentit illi Stampelius in Orat. de Schol. Theol. Dignit. Quando habet, inquit, omne vite genus & ordo suam dignitatem; solum Scholasticum non solum ornamentis destituitur, sed etiam contemptui expositum est. Causam hujus rei ingeniosiss. Verulam assignat

assignat contemptui teneræ ætatis, cujus contemptus in ipsos magistros recidat lib. i. de A. S. p. m. xi. ubi quidem rem acutangit, sed hoc addendum erat, ideo gentem de Scholâ esse despectam, quod fructus laboris illorum tam serò maturescat, quod ægrè ferunt homines qui natura ita comparati sunt ut præsens commodum utilitatemque desiderent, exiguo vel nullo prorsus honore dignum putantes, qui in laboribus occupatur post multos demum annos profuturis. Pluribus has & alias causas exponunt Neander & Sagittarius in suis de miseria Schol. Orat. Quod si vero uti Bœclerus, cui omnes rectè sentientes suffragantur censet p. 48. cit Comment. Schola animo concipienda est ut quoddam augustum ac sublime instituto, exercitatum opere, splendidum personis, nobile ingeniiis, celebritate præcipuum, frequentia copiosum: in hanc curam, quæ privatam sortem excedit, incumbendum esset magistratibus, ideo saltem, quod florere Respub. non possit, hac parte neglecta ornamentisque suis destitutâ. Agnoverunt hoc etiam gentiles Philosophi, & præcipue Aristoteles, qui propterea toto lib. 8. Polit. de legiti. institut. agit, quanquam fine prorsus alio, quam hodie id fieri debet. Illi enim solum propositum erat cives formare suæ Reipub. cum magistratus Christianus non suam tantum utilitatem spectare debeat, sed totius etiam generis humani, & inprimis Sanctæ Ecclesiæ. Cujus amore si teneatur, vel hoc illum movebit ad decentem Scholarum curam, quod melior pars Ecclesiæ sit juvenus & quod Spiritus S. liberos vocet יורה יורה hoc est hæreditatem Domini

mini Psalm 127. v. 3. Quod incentivum efficacissimum esse potest ad ingenerandum amorem, erga miseram pubem. Qui si adsit, jam & de præparatione magistrorum idoneorum cogitabit, & sustentatione eorum honesta. Ad illam pertinet consilium Buchneri quod suppeditat Part. 1. Ep. 170. *Mihi vero ita videbatur non defuturos facile Viros eruditos atque doctos, qui ad gubernandas Scholas, erudiendamque juventutem idonei cum primis essent si in singulis Academiis adolescentibus aliquot constituantur beneficia, aut stipendia, ut isti studiorum generi, quod humanitatis nomine censetur, se totos dedant, & cum Latinis Græcis, Hebraicis literis dicendi artes paulo accuratius, quam solet fieri addiscant. Atque in iis studiis adjuti liberalitate Principis tamdiu vivant, donec publicis ad moveri muneribus possent. Itaque hoc seminarium quasi fuerit, unde Rectores, Præceptores Scholarum non modo, sed & Professores, qui linguas & humanitatem in Academiis doceant legi atque constitui possent.* Benè satis habent, quæ hic svadet Buchnerus, nisi quod pietatem quoque futuro juventutis magistro commendare debuisset, quam utique ceu principem virtutem primo nominare loco fas erat. Quare graviter Venerandus D. Spenerus in præfat ad Tab. Hodosoph. Danhav. p. 13. 14. *Cum vero hoc ut præsetur (nimirum ut tenellæ mentes ad genuinam virtutem & pietatem ducantur) exemplo Doctorum omnino sancto opus sit, facile prudens quivis intelliget quæ cum publica noxa inter illos, qui in Scholis docent plures, reperiantur qui quid Christianus sit, verè ignorant, multo minus ipsi tales adeoque muneri suo salubriter obeundo idonei sint. Unde sanè ex præcipuis boni publici mediis illud fuerit, non*

nisi doctos, pios & prudentes Scholis præfici magistros, talesque maturè in Academiis tali sparte præparari, ut ante omnia post literas & honestatis naturalis principia Ethicam Christianam vere calleant, & tradere aliis norint. Hæc præparatio cum adhuc quod quidem sciam, à civitatum Rectoribus non necessaria fuerit judicata, sed homines muneribus Scholasticis admoti sint quales se obtulerunt mirum non est rem Scholasticam (meliores ludos literarios semper exceptos volo) nondum ex luto emergere potuisse. Præter hanc præparationem vero etiam de mercede laboribus molestissimis conveniente, magistratibus cogitandum esset. Si enim illa quilibet operarius dignus est, certè illis, qui in Scholis desudant largissima est decernenda. Quod cum non factum esse videamus in locis plerisque, mirum non est, quod, (verba sunt Joh. Ludov. Viv. ex lib. 1. de Caus. Corrupt. Art. p. III. *Excellentia ingenia, quæ se contemptui vident futura, si doceant munus tam fructuosum, tam dignum illo acumine, illa ingenii luce, illo judicio, ac peritia, refugiunt, & avergantur; deserunt Scholas, in quibus totius humani generis lingvæ, animi mentes ad optima, aut pessima informantur: tradunt hæc contaminandas, & coonspurcandas tardissimis ingeniiis, rudissimis, praviss, servilibus, quæ vel nihil cunctantur spe tenuissimi præmii in Scholas se tanquam in pistrinum detrudere: vel avide Scholas arripiunt tanquam gloriæ alicujus messem.* Verum non contemptus adeo deterrer præclara ingenia, qui veri honoris decus non in titulis & περιουσιας quærunt quam inopia summa & egestas, Hinc dicente Juven. sat. 7.

Pœnituit multos vanæ sterdisque Cathedræ.

Si enim quis animo etiam heptabœo accedat ad profligandam barbariem, hoc tamen telo impetitus illum despondere & consilium mutare cogeretur. Quis enim præter sudores, vigilias, morbos, vitæ sedentariæ proprios, egestatem quoque perferat, præsertim cum vilissimorum hominum sortem cum sua comparat, videtque, se familiæ suæ non nisi strenuam esuritionem velut ab intestato relinquere posse. Hanc igitur miseriam tanquam Dii quidam Avertuntia Scholis longissimè deberent arceri, qui ad Reipub. gubernacula sedent, Conf. Polyhist Morhof. lib. 2. Cap. 2. Ast nondum satis prospectum est ludis literariis, nisi etiam accedat Inspectorum prudentia magnaue rei Scholasticæ peritia. Arduum hoc fanè negotium est, nec cuivis temere committendum. Turbant enim magis hic multi quam juvant, quippe nec prudentia sufficienti, nec *in æstima* quæ magna hic esse debet, instructi. Malo id Morhofiis verbis ex cap. 10. lib: 2. Polyhist. quam meis declarare. *Non sufficit* inquit ibi, *idoneos admove* *Juventuti magistros, sed constitui debent qui totius rei Scholasticæ curam habeant idonei Ephori, in quibus plerumque peccatur. Solet enim hæc cura Sacri ordinis viris demandari, qui non omnes æquè iis doctrinis sunt exculti, ut de re Scholastica rectè statuere possint. Etsi enim pietatis præcipua quidem ratio habenda est, tamen & lingua & artes, quæ in Scholis tractari debent, non minori cura excolenda sunt. Ab ephoris nempè pendet interna Scholarum constitutio, cujus perfectam ideam animo concipere non potest, qui non multis annis huic operi incubuit,*

acaura-

accuratè omnia excussit, methodos Scholarum inter se contulit, & quid optimum sit sollicitè perquisivit. Jesuitarum Scholas magnopere commendant multi, & inter illos post Barclajum in Euphorm. Part. 1. p. m. 38. seqv. ipse Verulamius lib. 1. de A. S. p. m. 11. Ubi invidendum illis elogium suspendit. *Nam nobilissima, inquit, pars prisca disciplina revocata est aliquatenus quasi post liminid in Jesuitarum collegiis, quorum cum intueor industriam solertiamque, tam in doctrinâ excolendâ quam in moribus informandis, illud occurrit Agestilai de Pharnabazo: Talis cum sis utinam noster esses.* Neque diffitendum vel propterea laude dignos esse Lojolitas, quod Præceptores ibi minori cum molestia imò cum quadam jucunditate laboribus suis invigilare possint, quippe qui nec nimis gravantur multumque diversis lectionibus, nec iis disciplinis immorari, vel immori coguntur, ad quas ipsi non sunt naturâ proclives & propensi. Quæ mihi potissima semper causa est visa felicioris illorum successus in artibus iis tradendis, quæ homines non ad veram quidem sapientiam, (cujus ipsi ferè omnes sunt ignarissimi) sed talem tamen eruditionem ducunt, quæ in vitâ civili utum habet insignem, multamque gratiam. Si igitur Scholarum moderatoribus idoneis primo prospectum sit de mercede honesta & præmiis, prudentesque Ephori sic ordinent omnia, ut neque in lectionibus, neque in methodo illas tractandi, nec denique in isisquæ ad dispensationem operarum inter Præceptores spectant quidquam desiderari possit clades illæ, quibus hætenus Scholæ pleræque afflictæ sunt,

K 3

non

78
non erunt amplius metuendæ sed ex voto in his bonarum mentium officinis ea instillabuntur teneræ ætati, quæ ad Eclecticam Philosophiam omninò requiruntur. Inter hæc suo merito Principem locum tribuimus fideliori tractationi Theologiæ Catechetiæ. Risum teneatis amici dicet fortassis hic petulanti splene cachinno. Quid enim Catechesi cum Philosophia Eclectica, vel quid hoc opus consilio, quod etiam lippis & tonsoribus dudum fuit notissimum? At, at bone Vir, non præceps nimis esto in iudicando. Reconduntur hic fortassis aliqua, quibus recte intelligendis unam vel alteram horam impendere non inconsultum foret. Enimvero non ea est Theologiæ Catechetiæ natura, quam multi sibi fingunt, sed sublimior in illa latet sapientia, quam quis putet. Neque enim hic in quæstionum & responsionum aliquali cognitione subsistendum, non in allegatione dictorum quæ sæpius ne quidem docentes cum curâ pensitant, sed longius progrediendum est. Cum enim fides salvifica nnuquam sit sine Dei nostrique cognitione, in hæc utrâque inculcandâ sic occupari debet Catecheta fidelis, ut non verba solum norint Catechumeni, sed rem ipsam etiam sic intelligant, ut interius convincantur de immensa Dei misericordia, & in effabili iâlvatoris *Philanthropiâ* de sua post lapsum intellectus cæcitate voluntatisque summamque sic agnoscant obligationem ad gratitudinem erga DEUM, non ore solum & labiis, sed animo, & vitâ ipsâ declarandam. Quæ quidem licet in animis discipulorum non possit operari Catecheta, sic tamen sermo-

79
sermones illi instituendi sunt, ut aculeos semper relinquant, inprimis cum dicta Scripturæ enucleantur, à quorum genuini sensus ostensione, omnis pendet in movendis & convertendis hominum mentibus efficacia. Quære jam, qui hæc quæ dixi, verè intelligis, quot hæctenus Scholæ repertæ sint, ubi sacra hæc fuerint suo pretio æstimata? Si paucas ostendere potes non mirare etiam, à paucis fuisse observata, quæ Eclectiæ Philosophiæ studium tantopere ornant. Quod omninò florere magis posset, si à teneris artium cultores verbo divino innutrientur, ut illud per omnem vitam maximi facerent, suamque infirmitatem, & parem cum ceteris mortalibus sortem, quandoquidem Naturâ omnes sumus æquales, ex animo agnoscerent; Ex quibus fontibus deinde fluere rivuli Eclectiæ Philosophiæ Vireta suaviter irrigantes: nec amplius opus esset illud ingeniare, de quo queritur Divus Augustinus: *Se quidem in adolescentia sua Aeneæ errores cognovisse; suos non: & mortuam Didonem plorasse cum se potius debuisset.* vid. D. Pomar Orat. inaug. Ulterius à Præceptoribus idoneis expectare possemus feliciorum lingvarum epistemonicarum tractationem. Latinam, Græcam, Hebraicam, hic à me designari, nemo facile ignorabit, quippe in quibus & olim scripta sunt multa & hodie scribuntur, præsertim in Latina, quæ ad scientias spectant. His igitur exacte cognoscendis maturè tempus suum impendere debet Philosophiæ cultor. Verum optandum esset ut paucioribus annis ad illarum notitiam sibi parandam indigeret. Quis enim non mor ore

Lingvarum
epistemoni-
carum cele-
rior com-
prehensio.

incrore afficiatur, si videat adolescentes lustrum
unum vel alterum soli ferè latinæ lingvæ insudas
se & tamen Autores nondum intelligere saltem me-
diocres, & si quid scribendum sit, *Oratione uti falsâ*
quâdam Latini sermonis specie indutâ & oblitâ, sed parum
Latinâ, quemadmodum loquitur Muretus Orat. 16.
Ubi quidem sæpius injuria fit præceptoribus, quan-
do indigentia à parentibus arguuntur. Nam
non raro locum habet illud Juven. sat. 7.

Culpa docentis

Scilicet arguitur, cum levâ in parte mamilla

Nil salit Arcadico juveni

Sed non rarius sane culpa in docentes redundat,
qui ut, in Epistola quadam judicat Joh. Gerhard.
Voss. ipsi ex luto nondum emerferunt, scilicet, vel
quod ipsi à teneris præceptore usi sint hujus lingvæ
non satis gnaro vel quod, licet illis fuerit fidelis Ho-
degus, semet ipsos deseruerint, & vasta illa Lati-
alis sermonis latifundia emetiri sint pigrati. Movit
hoc nonnullos viros cordatos, qui tardissimos in
lingva Latina progressus considerarunt, ut suase-
runt neglecta hac lingva artibus & scientiis tempus
ab ineunte ætate impendere. Quantumcunque
enim illa habeat gratiam, quam variis abundet a-
mœnitibus, nihil tamen illam facere ad scientias
quæ & in sermone vernaculo possint addisci. Quod
sicut non gratis dicunt Viri prudentes Gallicæ cum
primis gentis Italicæ & Anglicæ exempla intuentes:
ita tamen firmum stat, lingvam hanc non solum
medium esse perveniendi ad scientias, sed etiam
cogitata sua communicandi cum aliis, usque eru-
ditis

ditis, quippe quorum illa est propria. Quæ una sa-
nè ratio abunde svaserit, illius studio non perfun-
ctoriè incumbendum esse. Græca autem cum illa
conjugenda est, non solum quod Latina sine ea in-
telligi perfecte non possit, sed quod etiam in Græciâ
multæ artes inventæ sint & Philosophia ferè omnis
ibi sumserit vel originem vel incrementa. Precarium
igitur omne nomen Philosophi esse, sine accurata hu-
jus Lingvæ notitia vere judicat Doctiss. Morhof. in
Polyhist. inserto. Cum etiam sæpe utamur Græcis,
quæ jam Civitate Latina sunt donata turpè fuerit ve-
ram ignorare originationem, & verendum est, ne
Etymologiam exsculpam⁹, qualem aliquando dedit
Hugo Cardinalis, qui Hyperaspistem derivavit ab
HuperValde, & pistis fidelis. vid. Ittich Proleg. ad Fla-
vium Josephum. Verum si de infelici & tardiori pro-
gressu in lingva Latina conquerendum est magis hic
dolendi datur occasio. Rarissimi sanè sunt Præcepto-
res, qui lingvam hanc ita docere possint, ut quis post
annum, imò biennium legat & expeditè interprete-
tur Autorem non adeo obscurum, Isocratem puta
vel Demosthenem. Abit sæpè triennium, quadri-
ennium, antequam quis non inspecta versione facil-
limam Isocratis Orationem prompte interpretetur.
Felicius sanè fuit superius seculum, cum Neandri,
Rhodomanni & similes præ essent Scholis, qui in-
tra bienium eam propinarunt alumnis disciplinæ
suæ hujus lingvæ peritiam, ut etiam Homerum,
Euripidem, Sophoclem Thucydidem & alios diffi-
ciliores Autores sine interprete intelligerent. Cujus
causam fuisse arbitror, quod ipsi magistris usi essent

talibus, qui vel ab ore illorum Græcorum pepend-
rant, quos expugnata Constantinopoli in Italiam
oportuit demigrare, vel eos magistros nacti essent,
qui hos Græcos aliquandiu audivissent. Verum
& hodie breviori longè tempore penitiorum hujus
lingvæ cognitionem consequi daretur, si Magistris
ejus peritissimis nec aliis laboribus distractis nimi-
um uti semper possemus. Hebræam quoq; lin-
gvam ideo eclecticæ philosophiæ cultori discendam
esse hinc patet, quod superius ostensum sit, veterum
Judæorum Philosophiam illi esse lustrandam, quip-
pe cujus vestigia quædam sint in Barbarorum my-
steriis. Fatendum quidem lingvæ purè hebræ-
am parum ipsi profuturam, nisi accedat Chaldaica,
Syriaca, Arabica & inprimis Rabbinica: Sed cre-
diderim plerasq; difficultates superatas esse, si quis
Hebræam norit exactè. Quod si tum desiderari
aliqua animadvertat eò lubentius bonas horas illis,
quas memoravi lingvis consecrabit, quo major in
illis analogismus deprehenditur. Curriculum hoc
lingvarum si paucioribus jam annis quam factum
est, hætenus absolveretur, quis non videt quanto
citius & facilius aggredi possemus Philosophiæ stu-
dium antiquæ, cujus nunc tam pauci sunt amato-
res, propterea quod græcam & orientales linguas
ignorant. Verum hæc felicitas præcipue pendet à
Magistris, quorum propterea præparationem ad
erudiendam in hisce & aliis juventutem diximus
summe necessariam. Præterea in docentibus re-
quiro majorem humanitatem quam pleriq; exhi-
bent discipulis. Sanè post pietatem, eruditionem

Major hu-
manitas do-
centium er-
ga discipulos
bonum

audist

& pru-

& prudentiam hac inprimis virtute opus est; quan-
quam semper cum gravitate debeat conjungi, ne
reverentiæ Magistris debitæ quicquam decedat. Di-
ci non potest quantoperè hæc ipsa virtus animos
etiam abjectos possit excitare ad sapientiæ studium.
Habet enim illa vim adeo attractivam, ut Barbari
quoq; feriq; animi eâ adhibitâ permulceantur. Mi-
hi semper illa præcipua causa visa est venerationis
quâ Socratem profecuti sunt Auditores & amici vid.
Xenoph. l. 4. de fact. & dict. Socrat. & Vita Socrat. à
Christ. Thom. in german. conversa. Et sanè, si comis
sit & affabilis Magister fiducia singularis discenti-
bus erga eum excitabitur, qua animati eum asse-
ctabuntur, in oculis ferent, ejus colloquia & moni-
ta pluris facient, quam voluptates & lusus, quibus
ætas illa plerumq; delectatur. Sic quoq; quærere
ex illo non dubitabunt, quæ non satis inter docen-
dum assecuti sunt, vel alias scrupulum illis move-
runt, quod quidem profectibus illorum non exiguo
est adjumento. Quod enim excitatiora quoq; in-
genia in studiorum cursu sæpe remoram passa
sunt morositati quorundam Magistrorum debetur,
qui non perpendentes quod illorum sit, commodis
discentium quâcunq; ratione consulere, severiori-
bus suis & morosis responsis discentes sæpe prote-
lant, & adeo absterrent ut ad Præceptoris velut Me-
dusæ obtutum cohorrescant. Verum ut huic vir-
tuti studeant docentes multum juvat recta Schola-
rum constitutio. Nisi enim, uti paulo ante dictum,
labores ab ephoris prudenter dispensentur, & ea
suppetant, quæ faciunt *πὸς ἀλφισον* etiam ille cui ma-

que filialis
ergo docem-
tes fiducia

L2

ximus

*Judicii a
generis in-
ter docen-
dum exsu-
scitatio.*

ximus ardor est erudiendæ juventutis officii sui im-
memor affectibus perturbabitur humanitati plane
contrariis. Hinc quoque non poterit laborem in se
suscipere acuendi in discipulis judicii, quod meâ
quidem sententiâ adformandum Philosophum ecle-
cticum imprimis necessarium est. Nam nisi matu-
rè discat eam animi sui vim excitare qua vera di-
gnoscuntur à falsis hebetior utique erit ad talia, æta-
te jam adultâ. Hic quomodo se gerere debeat fide-
lis & prudens Magister facile intelliget, si Socratis si-
bi exemplum imitandum proponat. Is enim, quan-
ta esset in auditoribus capacitas, quis animi status
probe inquirebat, & hoc factò, ex quæstionibus quæ-
stiones eliciendo, sic eos revincebat, ut nulla ipsis
elabendi via superesset. Unico hoc exemplo de-
clarasse suffecerit ex lib. 4. Xenoph. de dict. & fact.
Socrat. *A principio inquit, igitur audiente Euthydemo
sic alloquebatur eum Socrates. Cum verò sensit eum atten-
tius promptiusque suas disputationes audientem, solus ad fabri
tabernam illam accessit, ac Euthydemo confidente: Dic, in-
quit, Euthydeme, verè ne sicut audio, multa collegisti eorum
scripta, quos fuisse viros sapientes senseris? Ita mebercle,
inquit, ò Socrates, & indices colligo quam queo plurima. Per
Junonem, inquit Socrates, admiror te, quod non imprimis the-
sauros colligere, quam sapientiam elaborasti. Patet hinc, te
non putare auro argentoque homines reddi meliores, sed virtu-
te fieri ditiores sapientum dictis. Cum hinc Euthydemus se
à Socrate putaret studiosum haberi sapientiæ, gaudebat. So-
crates verò ut sensit eum factum alacriorem hac laude: Quâ
nam in re inquit, ò Euthydeme volens fieri sapientior hæc
colligis scripta. Cumque obticisset Euthydemus, considerans
quid*

*quid responsi daret, rursus Socrates: Nunquid in medendi ar-
te: Multa etenim Medicorum scripta extant. Tum Euthy-
demus: Minime isthuc, inquit. Sed nunquid architectus
effici vis? nam & is sententiis esse refertus debet. Non e-
go inquit; Sed geometra ne effici cupis uti Theodorus? Nec
geometra, inquit. Sed num astrologus? Cum id quoque nega-
ret: Nunquid te versificatorem cupis? Nam te omnia habe-
re Homeri carmina dicunt. Minime, inquit. Namque ver-
sificatores quidem novi, in carminibus edendis diligentes, at
ipso valde esse ineptos. At Socrates: Nunquid igitur, ò
Euthydeme, inquit, virtutem quæris, ob quam homines civi-
les, & patres familias, & principatu digni, utiles, sibi que suisque
efficiantur? Tum Euthydemus: Vehementer quidem, ò Socra-
tes hanc perquam opto virtutem. Quæ sequuntur, pro-
lixiora sunt, quam ut paginarum nostrarum angus-
tia ea capere possit. In illis autem sic Euthyde-
mum suum convincit Socrates ut fateri tandem
cogatur sibi rem omnium maxime necessariam,
cognitionem scilicet sui defuisse. Conferatur cap.
10. de vit. Socrat. Modus hic per quæstiones docen-
di omnium est accommodatissimus non puerili so-
lum sed etiam aliis ætatibus. Dum enim ex con-
cessis semper aliquid infertur, is, cujus ita judicium
sublimare cupimus, veritatem tanto clarius perspici-
cit & axiomata illa generalia, unde deducuntur con-
clusiones eò lubentius admittit, quo manifestior est
illa quæ iis superstruitur ἀποδείξει. Juvare quoque à
teneris multum potest judicii polituram Matheseos
& imprimis Geometriæ tractatio; id quod non solum
excell. Weigelius annis abhinc aliquot demonstra-
vit sed multi alii, qui post illum methodos docendi
edide-*

ediderunt. Optandum esset, ut studium hoc utilissimum in omnibus Scholis floreret, & laudatissima priscorum seculorum consuetudo revocaretur qua inscriptione illa *ἡ δὲ ἀρχαῖα ἱστορία* à Philosophorum auditoriis arcebant, qui Mathefeos & imprimis Geometriæ rudes erant. Conf: Morhof. Polyhist. C. 2. c. 3. & 4. Restat ultimum illud ad Philosophiam eclecticam perveniendi medium historię puta & antiquitatum matura cognitio. Qui historiam generaliter accipiunt, antiquitates sub illâ comprehendunt, quod etiam facit celeberr. Rechenberg in utiliss. libello de stud: Accadem. sect. 4. c. 2. §. 2. Nos eam sic contra distingvimus antiquitatibus, ut per eam intelligamus præter Chronologiam historiam universalem, & imprimis literariam: per antiquitates autem intelligimus consuetudines ritus proverbialia ænigmata hieroglyphica, verbo: omnia quæ in sacris civilibus & æconomicis apud antiquos usum aliquem habuerunt. Per gradus hic omnino eundem est & lentis passibus cum nullum sit vastius studium & latius pateat, quam historię & antiquitatum: Sed maturè tamen idea animis juniorum imprimenda est, ne adultiores facti in Philosophorum antiquorum scriptis oberrent tanquam in semanâ aliquâ sylva. Quod enim de Aristotele verissimè censet Joh. Ludov. Vives l. 6. p. 343. de causis corrupt. art. quod sit Poetarum Oratorum historiarum, & totius antiquitatis consultissimus & ad illorum dicta passim alludat, quæ tum erant valde nota in Scholis quodq; in ea allusione sit vis totius sententiæ quam nemo nisi il-

Matura Historię Antiquitatum cognitio.

lius

lius peritus intelligat: Illud de reliquis quoq; Philosophis rectè affirmari posse nemo doctiorum negabit. Quamvis enim quorundam commentarii multa obscuriora elucident, multa tamen sæpè intacta relinquunt. Hinc collectanea illa antiquaria quæ passim manibus teruntur studiosorum, non sufficiunt; quippe in quibus sæpè nec vola nec vestigium eorum, quæ ad reconditam doctrinam veterum spectant. Unde tanto major opera danda est à prima adolescentia elect. Philos. consecraneo, ut fideli usus hodego in penetralia venerandæ antiquitatis deducatur. Postea quam hæc in chartam conieceram incidi in libellum cujusdam Anonymi germanicum, hoc anno impressum cui Tit: Der gute Schultze. Autor ejus, vir, ut apparet pius, prudens, doctus & didacticæ peritissimus, per omnia fere nobis *ὁυδὲν* est. Dum enim Scholarum emendationem intendit, Præceptorem suum format accuratè, & omnia sæpè etiam minima præscribit, quæ illi sunt observanda. Faxit Numen benignissimum ut ejusmodi consilia probent omnes & sequantur qui Scholis præsent, imprimis autem gratiosissimè regat corda magistratuum, ut agnoscant, quanti & suâ & reip. & Ecclesiæ intersit summam impendere curam rei scholasticæ illamq; à miseriis suis vindicatam felicitate illa donare, quam calidissimis votis expetunt omnes, quibus est persuasissimum, plerasq; si non omnes Orbis Christiani calamitates originem trahere à neglectu scholarum. Fiat, fiet!

S. D. G.

Errata Typographica extrantiora

Pag. 3. Via pro vita p. 7. ἀπὸρρητος pro ἀπὸρρητος pag. 8. subtiler pro subtiles pag. 13. Curtes. pro Cartes. p. 16. baptisimmm pro baptismum p. 17. vastitutis pro vastitates p. 20. quereta pro querela. p. 23. contraversiam pro controversiam p. 25. invalescere pro invalescerent. p. 34. idsa pro idia ibid. Φύσιν pro Φύσιν. p. 40. tenebris pro tenebras. p. 43. investigatia pro investigatio. p. 45. quostquam pro postquam. p. 46. inoboedientia pro inobedientia. p. 52. est eres pro est res. p. 54. Pphilosophiam pro philosophiam. p. 55. Phiiosophiam pro philosophiam. p. 60. rudinenta pro rudimenta. p. 77. is is pro iis.

Reliqua benevolus lector ipse corriget, & commatum in græcis præsertim transpositionem facile observabit.



Joannes Ludovici Vivis
DE VITA ET MORIBUS
ERUDITI



Onfecto curriculo arti-

um humanitatis, declarem jam, quid nobis videatur faciendum docto viro, quomodo reliquum ætatis transigendum sive separatim secum, sive cum aliis, in usu atque exercitio suarum artium, in traditione earum; quomodo inter professos artem ac disciplinam eandem, ut ille se erga illos geret, eorumque de se opiniones accipiet, & censuras; quo pacto sua consignabit literis, & transmittet ad posteros. Non eo quo singula persecuti sumus ordine percurret, ut ad posterius studium transgressus, nefas esse existimet prius respicere: miscebit studia, & prima in tertiis repetet, tertia in sextis. Nam connexionem inter se habent omnia hæc, & affinitatem quandam: alia in manus resumet, quia necessaria præsentis usui, alia quia levamenta præsentis laboris. Erit sciendi studiosus. Nec se unquam ad fastigium eruditionis pervenisse arbitrabitur. Sententia Senecæ est animadversa acutissime, potuisse multos ad sapientiam pervenire, nisi se jam pervenisse crederent. Idem ad Lucilium est author; Tamdiu discendum, quandiu nescias, & si proverbio credimus, quamdiu vivas: quandoquidem nihil est in universa natura tam promptum & facile, quod

2
non totam hominis ætatem possit distingere. Non erubescet homo sciendi cupidus à quocunque discere, qui docere quid possit. Cur hominem ab homine pudeat discere, quum humanum genus multa à belluis discere non puduerit? Ita vero studendum, ut non obruatur ingenium mole operis. Valetudinis habenda imprimis ratio, & eorum qui nostræ sunt curæ commissi. Docti homines quum intelligunt se ingenio, consilio, cognitione rerum præstare cæteris, aut certe sic alios existimare, ingentes attollunt spiritus, tanquam ipsi homines inter se pecudes vivant, unde incredibile est dictu, quantopere arrogantia invalescat. Sancte illud à Paulo Apostolo dicitur: *instruari homines scientia, charitate edificari.* Sed reflectet in se oculos sapientiæ sectator, nec plus aliorum de se testimoniis, quam sua ipsius acquiescet conscientia. Reputabit quam multa sibi est conscius se ignorare, quæ alii eum scire non dubitant: quoties hallucinatur, labitur, fallitur, & à vero quam longissime discedit: ut non sine gravissima ratione & causa Socrates, quem Græciæ consensus sapientissimum nuncupavit, professus sit nihil neque se neque alium quempiam scire. Quod placitum ingens deinde philosophorum manus constantissime tenuit. Et profecto si quis recte expendat & reputet singula, comperiet nihil certius à nobis, quam pietatem nosci. Theophrasti etiam scientia jure laudatur, quæ cuncti sciant, minimam esse eorum quæ ignorent portionem: quod diffusius persequi non est instituti hujus. Quid si excutiet singula & ad subtile examen revocet? Næ illi tam magnifici tituli sordere incipient. Lingvæ quid aliud sunt, quam voces? Aut quid interest semotis disciplinis Latine, & Græce noris, an Hispane, Gallice? Dialectica & Rhetorica instrumenta sunt artium, non artes; meliusve à natura traduntur, quam à magistro.

Philo-

Philosophia opinionibus tota, conjecturis veri similitudinis est nixa. Sed neque hæc sigillatim exponere est hujus loci. Age vero donemuste aliquid scire certum atque exploratum; an hoc ignoras alieni te habere beneficii? Cur tibi accommodata vestis facit animos? si quid habes boni, alienum est: si quid mali, id vero est tuum unius. Vides te eruditum, munus Dei est, cui displices, nisi quam inde gloriam nancisceris, in illum referas. Equidem haud repugno, quo minus vir doctus talem se esse intelligat, & alii sapienterem, sed neque esset doctus aut sapiens nisi id facile perspiceret. Volo tamen agnoscat, cujus sit ea sapientia, illique uni referat acceptam, à quo velut fiduciarium possidet. Quum se admirationi esse conspicit, ne sistat in se, quod est periculosissimum, nec oculos dejiciat in terram, ut honore illo ab hominibus tributo sibi applaudat ipse, tanquam opera & merito suo consecutus, quod est *manum suam ipsius osculari, iniquitas maxima*, quemadmodum Jobus ait, & *negatio contra DEUM altissimum.*

Quatuor rebus constat eruditio, ingenio, judicio, memoria, studio. Tria prima cedo unde habes? Nunquid non ex Deo? si qua est docti laus, de postremo petitur, quæ res infima est omnium & levissima. Quid quod adeam ipsam adjutus es constitutione corporis non gravi, nec torpida, tum etiam valetudine, quæ Dei sunt dona? Quid ergo docti superest proprium, quo gloriari possit? An quod voluit? At quam multi vellent, si tam eis per Dei benignitatem liceret, quam tibi. Itaque inter laudationes sui erigat se vir sapiens ad contemplationem sanctæ illius, & divinæ sapientiæ, ad cujus infimum, ut Paulus inquit, *humana omnis sapientia comparata mera est dementia.* Veniat illi in mentem, si homines unius aspectu guttulæ tantopere commoventur, quid facerent, si copio-

A 2

fissimum

sissimum illum & æternum fontem daretur intueri, unde manant universa? Tum adoret demisso animo authorem bonorum omnium, et agat gratias, quod munera sua copiosius dignatus est sibi, quam aliis impartiri: quodque voluerit se esse instrumentum alicujus partis consilii, atque operis Sui. Nam non omnes instrumenta sumus voluntatis illius. Quocirca nullus sit tanta eruditione vir, & rerum peritia præditus ut putet Deum indigere ipso ad effectum consilii sui. Primum quod solutissimæ est arrogantia, existimare te aliquid posse præstare, quod nullus alius possit, si eodem applicet animum Deinde quod non magis instrumentis ullis Deus ad agendum indiget, quam luto ad aperiendos cæci oculos. *Ex lapidibus potest suscitare filios Abrahæ, & infirma elegit mundi, ut confunderet fortia.* Quod si tu vir sapientia præstantissimus & inclytus beneficio Dei tantus evasisti, utique in quemcumque ille favorem transtulerit similem, fiet similis. Qua propter rogandus ille est, qui omnia largitur, & per nos operatur, quæ ipsi est visum, ut nobis potissimum eruditio nostra proficit: ne nos instrumentum faciat in bonum aliorum, perniciem nostram: ne idem accidat nobis, quod vel malis medicis, qui alios curant, se non curant: vel tubicinibus, qui alios ad prælium adhortantur, ipsi non pugnant: vel candelis, quæ aliis quidem lucent, se ipsas consumunt. Itaque quoties ad studium accedimus, ab oratione auspicandum est, quod fecisse Thomam Aquinatem, & alios permultos sanctos viros memoriæ est proditum. Idque est orandum, ut sana sint nostra studia, ut nemini noxia, ut nobis & omnibus in commune salutifera. Cæterum si omnibus vitæ actionibus propositus esse debet finis aliquis, quanto magis studiis? ut constitutum sit nobis, quo pertineat labor noster. Neque enim studendum est semper ut studeamus solum,

nec

nec ut se animis inani quadam contemplatione ac cognitione rerum exlex & immunis oblectet. Negat Socrates vacare sibi ad interpretationem fabularum poëticarum, quoniam nondum norit se: & ridiculum sit eum, qui se non norit, aliena scrutari. Multo minus studiorum fructus pecunia æstimandus est: quem unum esse arbitrantur homines ingeniis abjectis, quique plurimum à vera studiorum ratione absunt. Nihil est enim tam diversum à literis, quam pecuniæ vel cupiditas, vel cura: ut quocumque hæc incubuerit, protinus studium rerum cognoscendarum expellat: quod se bona fide nisi liberis ac morbo illo solutis pectoribus non committit. *Ditandum, inquit; postea philosophandum.* Minime gentium: imo contra *philosophandum prius, postea ditandum.* Nam si prius ditare, philosophari mox noles, & de opibus sollicitus, & in mille raptus vitia, usum divitiarum ignorans, philosophiæ nescius. Quod si semel philosophere, expeditum Tibi erit postea ditari, quantum sat erit. Nullam allegare causam quis potest, quo minus in philosophia ponat operam, quin ea ipsa ad studium sapientiæ illum impellat. Philosophandum est pauperi, quia non habet, ut levior ei fiat paupertas. Philosophandum est diviti, quia habet; ut rectius opes administret. Philosophabitur felix, ut felicitatem probere gat. Philosophabitur infelix, ut infelicitatem lenius ferat. At vero ex artibus ut quæque cum majore hominum malo venduntur, ita minime oportet ob quæstum exerceri, ut jus Medicinam, Theologiam. Non ingeret se vir doctus ad capeffendam rempublicam; etsi optare debet prodesse quam plurimis non arbitrari se uni sibi natum, quod priscus philosophus Platonem admonuit. Unde est illud Apostoli: *qui episcopatum expetat, bonum opus expetere, tum ut occupet bonus eum locum, quem*

A 3

occu-

6
occuparet malus. Sed non habet idem & gratiæ & viri-
um ingestus, quod ascitus. Si accersatur, contempletur
diligenter prius animos suorum civium, fani ne sint, an
sanabiles: ut si qua parte prodesse queat, non recuset la-
borem, Sin vero inanem atque irritam sumpturus est o-
peram, omnino abstineat: quod fecisse Platonem perhi-
bent, quia populi sui mentes adduci ad sanitatem aliquam
posse desperaret. Corda vero plerorumque principum a-
deo sunt corrupta, & magnitudine illa fortunæ ebria, ut
nulla arte refingi queant in melius, medentibus aspera at-
que infensa. Sinendi sunt valere illi cæci, ut Dominus di-
cit, & duces cæcorum: curam nostram traducamus in
populum magis tractabilem, quique se curantis manibus
faciliorem, atque obsequentiorem præbet. Quod & fecit
idem Christus, apud quem non pluris est plebeius quisvis,
quam princeps.

Nihil perinde artium omnium decus, cunctæque e-
ruditionis, fœdavit, & abiecit ut quorundam sciolorum
levitas, qui passim assentantur quibus libet principibus po-
tissimum, novo exemplo magis quam vetere. Sed nec
homines vere docti hoc faciunt populus tamen id discrimen
non capit. pro doctis habent quoscunque vident spe-
cie aliqua sermonis Latini vel scribere, vel loqui. Atqui
tuentur se, qui id faciunt, hoc colore, ut dicant, non se
quales illi sint, prædicare, sed quales esse debeant ostende-
re. Dilutus sane color, & quem alii utique non discernant:
quare assentationis damnant literatum, atque adeo
etiam ipsas literas, illumque abominantur, qui scelerosum
principem tanquam optimum commendat: quin etiam
princeps ipse, prava de se opinione imbutus, talem existi-
mare se arbitratur, qualis dicitur, unde arrogantior sit in-
dies, & intolerabilior, inque instituto vitæ genere confir-
matur,

7
matur, ex quo videt se tantum laudis nancisci, ut id do-
cti viri monumentis literarum impressum, infixumque o-
portere esse censeant. Si studiosi assentari non convevis-
sent principibus, & eruditionem illi pluris facerent, & lau-
dari se ab illis impensissime gauderent, videlicet juxta prisca
poëtæ dictum, *laudatis viris*, tum reprehensio magni esset
ponderis: nec aliter acciperetur docti hominis approba-
tio, quam religiosissimi testis testimonium gravissimum.
Nec minus princeps quam alius quisvis amplissimum vir-
tutis suæ in hac vita præmium duceret erudito se homini
approbari. Nunc vero pili non faciunt, qui sciunt se nu-
mo uno sestertio, numo vero? imo frusto panis emptu-
ros. Ergo quum res feret, ut sint à nobis laudandi, parcius
laudandum, & ita, ut sentiant se potius admoneri, inci-
tarique ut pergant, quam gratulationem cani tanquam
curriculo absoluto, quumque profecturum te speres. Libere
sunt reprehendenda vitia, modo acerbitas absit, & rabies:
sin odium solum quæras, neque prodis, abstinendum est
ab irritato labore. Neque potentum, aut omnino cujus quam
vitiis ostendendus color præmii spe, aut cupiditate alia:
quod est magnopere nefarium: nam efficis ut & illi ipsi
audacius male agant, & alii quam illorum exemplo, tum
docti hominis assensu.

Sunt alii qui studiis non pecuniam venantur, sed glo-
riam: generosius sane quiddam, fateor, verum quæ ut in
adolescencia, & juventute maximos subdit stimulos ad ho-
nestas actiones, ita multorum est deinceps malorum cau-
sa & origo sicuti alias ostendi: quod omnia oculis intu-
entium tribuimus, nihil conscientiæ, quæ non aliud quic-
quam de nobis judicat incorruptius. Ideoque spe jam per-
ceptæ gloriæ sæpenumero decidimus, quod qui falso de
nobis judicarat, errorem suum post intelligit, aut falli in-
cipit

8
cipit qui rectè: & si crebrius evenit, ut deceptæ existima-
tiones vertantur in melius, quippè res veras, solidasque
tempus confirmat, inanes autem dissipat, & absumit.
Quocirca nemo se gloriam in posterum assecuturum con-
fidat vano viventium favore, & specie quadam præclaro-
rum operum. Nam exemplo simul affectus illi incitati
subfederunt, in eorum locū iudicium subit, & quidem exacti-
us. Itaque multos in vita honoratos accepimus, ignobi-
les & contemptos post fata. Accedit huc, quod uti dice-
bam modo, opinionum commenta delet dies, recta judi-
cia corroborat. Age vero, quam incerta est fama? quam
lubrica? Multi immortalitatem sibi polliciti, ne diurni-
tatem quidem assequi potuerunt: ut Appion grammati-
cus, qui ut apud Plinium legimus, *immortalitate donari*
dicebat à se illos, ad quos aliqua opera componeret. At
ipfius ne litera quidem extat. Quam etiam iniqua, ut be-
nemeritis non contingat? Extant Ovidii opera, non ex-
tant Chryssippi nec Crantoris. Integer ad nos pervenit
Vincentius Bellovacensis, non Titus Livius, non Polybi-
us, non Marcus Varro, non ipse idem Marcus Tullius; ut
non temere Martialis dixerit, *libro victuro genium esse o-*
pus. Adde his quam est varia. Idem alio tempore, aliis
locis pulchrum videtur, & fœdum. Quid quod præclara
inventa ingeniis & diligentia sequentium obscurantur, ut
multis priorum posteri magnitudine sua, & quasi altissi-
mis substructionibus luminibus obstruant? Sed facite na-
ctum esse claritatem, laudem, gloriam; quid tibi prode-
rit mortuo, qui nihil eorum sensurus es, quæ hic agentur,
utique non magis quam equus quum in Olympiis victor
prædicatur, aut Apellis pictura, quam cum admiratione
contemplamur? Quid ad Ciceronem, vel Aristotelem re-
dit ex tanto nomine? Quid ad alios vel literis illustres,
vel

9
vel bello? Sed in ipsa eadem vita quid senties absens de
gloria? Quid dormiens? In præsentia vero necesse erit,
vel eos qui te in os laudant, esse vanos; vel te, qui illa co-
ram dicta libenter audias. Cedo autem quid tandem di-
cent? ô doctum, ô facundum hominem, imo vero ô le-
vem & vanum hominem, sitam levem aurulam præmium
tibi literati laboris proponis. Quod si tu negelectis huma-
nis laudibus, conscientia tuæ volueris servire, & per illam
Deo; quanto solidior tibi & diuturnior gloria continget,
si te laudarit Deus vivens viventem, præsens præsentem,
immortalis immortalem: qui te semper intuetur, qui de te
non falso pronuntiabit iudicio, sed ex tuo ipius testimonio?
Non qui se ipsum commendat, is probatus est, inquit Paulus, sed
quem Deus commendat.

Viro docto cogitandum est, frequenter de migratio-
ne ex hoc ævo, deque vita illa sempiterna, & ita meditan-
dum sæpe ac multum, ut familiarem sibi cognitionem mor-
tis faciat, ne ad illius mentionem terreatur. Tum veniet illi
in mentem Judicis illius & remuneratoris singulari actio-
num, ad quem brevi veniendum illi est finita scena, & hy-
pocrisi vitæ: cui se approbari unicum erit illius studium.
Nam cui se vendicare cupiat vel reus vel patronus, si sapi-
at nisi suo iudici? cui athleta, cui pugil, cui omnis qui a-
liquid agit sub iudice? Poëtæ olim Græco poema suum
recitanti, quem omnes deseruerant, Plato instar fuit toti-
us populi Atheniensis; non erit nobis Christus sapientia
Dei? Magnum est, inquit vetus proverbium, *Athletam pla-*
cuisse Herculi: quantum ergo nos Deo? à quo toties lauda-
bere, quoties aliquid egeris illi gratum. Porro illi nihil esse
potest gratius, quam ut eruditionem, & quæcunque sua
munera in utilitates hominum proferamus, hoc est filio-
rum suorum, quibus ille ingentia impartitus est commoda,

ut mutuo profint in commune: & vult nos gratuito distribuere, quæ gratuito à se accepimus, quanquam ipse pro eisdem, quæ nobis est largitus, copiosissime refert gratiam, admirabilem Dei benignitatem: quæ ipse gratis nobis dedit, hæc eadem si ipsi reddamus, amplissime remuneratur.

Hic est ergo studiorum omnium fructus, hic scopus, ut quæsitis artibus vitæ profuturis, eas in bonum publicum exerceamus, unde merces immortalis consequitur, non ad pecuniam, non ad præsentem gratiam, aut delicias, quæ fluxæ & momentaneæ sunt. An vero pecuniæ causa rectè vivimus, rectè movemus, & tam amplum Dei munus, tam vili & contemnendo pretio commutamus? An propter gloriâ? Miser si illam tam avide confector, quæ per tot labores & curas ægre retinetur, incerta, fugax, ut nulla sit servitus cum hac comparanda: inferior si populi vocus re tam præstanti & sacra mercor, & laudari à mortalibus malo, quam ab immortalibus: ab stultis, quam ab ipsa sapientia. O quam aureo piscamur hamo & quidem anguillas putres? Bona ergo fide exercendæ sunt disciplinæ in eum ipsum usum, ad quem sunt à Deo collatæ. Neque enim discendum est semper, sed ad vitam transferranda doctrina. Infinitum quidem ex se est studium quodcumque, sed alia tamen ejus parte incipere debemus illud ad aliorum commoditates ac emolumenta deducere: in quo prudentia est opus, quia exercitium circa singula & separata versatur, quæ regit prudentia, circumstantiarum omnium æstimatrix & arbitra.

Proditurus ad hominum occursum & conspectum vir doctus, meditatus & paratus exeat tanquam ad pugnam, ne qua à prava aliqua affectione capiatur, à quibus oppugnatur undique, atque incessimur, & qui toties ab aliis au-

sculta-

scultatur, auscultet ipse aliquando se. Confirmet domini animimum magnis & validis cogitatibus ad despicientiam honorum, & dignitatum: meminerit ejus vocis quam à Domino audivit, *salem se esse terræ, lucem mundi*: nihil convenire minus, quam vel *fatuum salem fieri, vel lucem tenebrosam*. Cujusmodi illam existimamus fore, quæ hoc sale condientur, vel illustrabuntur hac luce? Exeat ergo rationibus munitus, ac armatus, quibus resistere oppugnantis assultui valeat. Præstet re vera *salem & lucem* compositione animi, & moderatione perturbationum, verbis sapientissimis atque opportunis, ne sit importuna sapientia, ac proinde putida, & odiosa: Sed quæ quoties se proferet, velut salus quædam appareat iis, qui adsunt. Gestum ipsius & corpus universum modestia & moderatio decorabunt. Dicta vero & facta, gravitas, ac constantia, ut aliis ad similem vitæ rationem exemplo esse possit. Multum quidem perfradabit oratione, sed plurimum vitæ innocentia. Et quo ab illo accuratiora prodeant ac puriora omnia, illud animo ejus perpetuo succurrat, nihil ab eo vel fieri, quod auctoritatem non habeat, & in exemplum à benevolis sumatur; putant enim eam esse legem vitæ: à malevolis autem & invidis ad examen & censuram sinistram. Idcirco erit in agendo cautior, & in pronunciando cunctatior & omnino in loquendo circumspicior. Propter hunc bene audient literæ atque artes, multique ejus æmulatione studiis sese disciplinarum dedit, quarum fructum tam pulchrum, atque admirabilem cernunt. Quam est pudendum viris doctis, homines sæpe imperitos moderatores habere animi motus, quam illos sapientiæ præceptis constipatos. Qua de causa literis frequenter grande fit à plerisque convitium, multisque in odium venerunt, qui sese prudentiores fore arbitrantur, si illarum nihil prorsus attigerint. Cæ-

B 2

terum

terum ea bona quæ viri docti aspectui exhibebunt hominum, verius re ipsa præstent, quam ostentatione. Prodit se tandem male simulatus animus, atque eo fit magis invisus, ac detestabilis quo diutius graviusque imposuit. Veritatis porro ingentes & solidæ sunt radices: & lux quantumcunque occultetur splendorem suum foras emittit. Sapienter Epictetus: *Oves non jactant apud pastorem, quantum quoque die comederint, sed id re testificantur, lacte, lana, sætu.* Turba studiosorum seculum vocat felix, in quo multa fit eruditio: non est vero id felix seculum, sed illud cum homines docti re ipsa præstant, quod legerunt, quod profiterentur, quod aliis præscribunt: quum qui audiunt, & vident, coguntur exclamare: hi sunt qui loquuntur ut vivunt: & vivunt ut loquuntur, quod philosophos illos de Origine Adamantio dixisse Eusebius est author. Ne erubescas parum recte facere, quæ non potes melius: erubescere male facere quæ potes bene. Præbebunt se docti mites, affabiles, moderatos, pravis cupiditatibus invictos, & ostendent quantum in hominis corde efficere possit sapientia, si regnet: quamque longo interstitio sapiens ab insipiente distet. In rebus magnis & præclaris valere & pollere sit eis satis: ne cupiant in quibus libet haberi magni, non in armis, equis, venatione, piscatione, saltationibus, lusibus, dicacitate procaci, aut triviali. Hoc ardellionum est, non sapientum: & fiunt eruditi ridiculi qui de illis non minus volunt, quam de sapientia judicare. Nam quemadmodum à luce nihil in obscuro cernimus, nec ab obscuro in luce: ita mirandum non est sapientes hallucinari ad nugas translatos, utique & nugatores insipientia cæci sunt. Est eruditi hominis opus eam ipsam eruditionem in alios transfundere, & quasi de suo lumine lumen in aliorum mentibus accendere: ideoque in visione Danielis dicitur,

eos qui

³³
eos qui ad justitiam erudierint multos fulgere sicut stellis in perpetuas eternitates: & Dominus noster magnum vocatum iri ait in regno cælorum, qui justitia præcepta & ipse fecerit, & alios edocuerit. In docendo quem potius magistrum imitabimur, quam illum ipsum Christum, quem pater ad erudiendum humanum genus cœlitus demisit? post hunc magno intervallo eos qui Christum sunt secuti. Is vero quum esset divina sapientia, illa tamen protulit sola, quæ audientibus essent profutura, non quæ quantus ipse esset declararent. Nam si gloriam suam affectasset, aut sese patefacere expetisset, quæ essent ab alio, & quam admirabilia patefacta? sed quæ captum omnem excessissent, etiam angelorum. At vero nobis serviebat omnis illius oratio, non ostentatione sui. Sed nec deliciæ quærendæ sunt, vel oblectatio. Plinius peculiarem in studiis sentit causam illorum esse, qui difficultatibus invicti utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi. Paucitate discipulorum contentus fuit Dominus, quum Dei sapientiam, & viam æternæ salutis monstraret mundo. Quis potest de discipulorum numero conqueri, quum author humani generis duodecim hominum scholæ acquieverit? Frequenti auditorio ambitio magis servit, quam severitas institutionis. Cæterum de Schola oracula hæc habentur veterum, *docendum sine invidia, absque rubore discendum, gratia semper habende docenti, aliena inventa sibi non usurpanda.* Cogitabit vir sapiens mundum hunc esse velut civitatem quandam, cujus ipse sit civis, aut magnam quandam domum cujus ipse sit de familia, non referre à quo bene aliquid dicatur, dicatur modo: hic parari opes illas, hic ad publicas relinqui commoditates: parentur, & communicentur, à quo autem, nihil interesse. Quare & ipse sua pro virili parte conferet, & alios ut conferant, benigne adjuvabit. Et quatenus se ac

B 3

suam

suam imbecillitatem cognitam habet, & perfectam, alioqui nec sapiens dici posset, nec doctus, reputet cum animo suo, quantam humano ingenio inferret injuriam, si neminem se vel meliorem esse, vel doctiorem vellet. Porro de cursu institutionis Socratis sententiam ex Platone adducit Cicero, quem solitum dicere scribit, perfectum sibi opus tum esse si quis satis esset cohortatione sua concitatus ad studium percipiendæ cognoscendæque veritatis. Sed nos similitudine utemur notiore: tam diu esse cuique opus duce, quamdiu viam ignoret; eam ubi per sese possit peragere, animo indigere magis, quam magistro.

Docti inter se concorditer, ac humane conversentur. Enimvero turpissimum est nobis, latrones ac leones majore inter se consensione vivere, quam eruditos. Sed nec eruditus unanimitas, ac benevolentia deerit, si disciplinas integre ac sancte coluerint, non gloriam vel quæstum: nam ubi harum rerum cupiditas invaluit, difficile est Sanctam servare societatem. In studiorum collationibus qui alteri melius dicenti concedit, ne victus nominetur, alienissimum est ab hac re nomen illud. Neque enim pugna hæc est, vel, qui differunt, adversarii: acerbissima atque inimicissima appellatio in suavissimam rem, & benevolentiam natura ipsa plenam est translata. Nam quæ potest major inveniri conjunctio vel arctior, quam animi, & ejus, qui illum ad prudentiam aut virtutem excoluit? Non alia utique quam arvi, & agricolæ, ut non immerito parentes sint animorum, qui docent. Qui non satis cernit perspicue, acutius cernentis cedat iudicio, sine indignatione. Oculos ille accuratior vel sanior est nactus, hic ingenium vel natura perspicacius, vel usu, ætate, diligentia expolitus. Quid quod interdum animadvertentiæ magis laus est, quam ingenii; casus nonnunquam, sicuti quum elapsus numus,

à mul-

à multis quæritur? Sed ut nuncupetur sanè quando ita in¹⁵ veteravit, congressus, & lucta, & pugna, & victoria: quæso expendat quisque secum, quantum sit beneficium liberari à tyrannide ignorantiam, quæ servitus est omnium gravissima, & teterrima. Sapienter Plato, *Tanto prestat disputatione vinci, quam vincere, quanto est melius magno malo liberari, quam liberare.* Quid enim exitius homini potest contingere, quam falsa opinio? Ut sit hoc fortasse liberatori gloriosius apud nonnullos, liberato certe utilius est. Verum huic tanto ignorantiam malo libentius eximeremur omnes, si disputationes minus essent scenicæ, nec tantum tribueretur coronæ, quæ colluctantes cingit essetque amica potius sermocinatio, quam pugna inimica. Quodcum in genere omni disciplinæ fieri decet, tum potissimum in Theologia, ubi contra sacram veritatem impiè configitur, & scrupuli gignuntur in animis audientium de rebus, quas certas, fixas, inconcussas haberi fas est. Exasperat porro sparsos scrupulos dæmon hostis, atque auget: accommodant etiam homines suas manus, dum unusquisque de ingenii gloria laborat magis, quam de veritate asserenda. Cedendum veritati omni, non piæ modo, & sacræ, sed prophanæ quoque: & præcepto sapientis obtemperandum, quo jubemur *non contradicere verbo veritatis ullo modo.*

Candidæ ac prudentes censuræ vehementer sunt studiis omnibus utiles, si animi iudicium citra damnum affectus profertur, ut inquit Tacitus: nec quicquam est in his damnosius quam iudiciorum confundi signa, sicut in vita voluntatum: ut nesciatur quid quisque aut probet, aut improbet: quod usu venit hoc tempore quum periculosissimum est de quoquam loqui; tam irritati sunt omnium animi, & parati ad pugnandum, ut vel attingere quam libet

bet leviter non sit tutum, etiam si alio spectes: tenera atque infirma conscientia illico sese peti suspicatur, haud aliter quam ulcerosi equi aetutum concitantur, frigile audita. Quamquam vitio huic incitamenta atque incrementa praebuere quam plurimi, qui acerbissime alios perstrinxerunt, non ut veritatem exprimerent, sed ut fugillarent, ac infamarent nomen alienum, vel odio impulsu, vel falsae gloriae spe adacti, existimantes tam se habitum iri pulchros, & praestantes, quam alios tetros esse, ac viles ostendissent. Sed illis multo secus atque speraverant, accidit: nam candoris etiam ineruditi sua est apud omnes laus, malignitatis vel eruditissimae vituperatio certa. Quid inter haec odia quantam accipiunt plagam disciplinae! Detrahitur authoritas tam odiose rixantibus, & tam capitaliter inimicis, despondent animos excellentia ingenia, quum pertaesarem adeo amaram nampe digladiationes perpetuas ab studiis resiliunt, ac abhorrent: profectus inter haec studiorum amittitur, atque obscuratur veritas, dum malunt quidam corrumpi literas, quam instaurari per suos inimicos. Quantum scelus est eloquentiam, ingenium, & alia magna atque admiranda Dei munera, hominibus a Deo ad utilitatem hominum concessa, in eorum perniciem convertere, per bona malefacere? Hoc vero jam nec ferarum quidem est, nec hominum. Quanto religiosius Quintilianus Ethnicus, quam nos Christiani: *Mutos nasci, & egerre omni ratione satius fuisset, quam providentiae munera in mutuum perniciem convertere.* Quid refert quomodo impetas alium, ferro an stylo, ubi voluntas est eadem, & plerumque plus lingua laedis, aut stylo, quam gladio? quippe ferro corpus modo confaucias lingua vero etiam animum. Artes humanitatis nominantur, reddant nos humanos: a Deo optimo sunt traditae, reddant bonos. Nam qui alteri in-

videt,

videt, quod est ei Deus largitus, quid aliudquam Sanctum Dei iudicium improbat, & distributionem munerum illius condemnat? Tametsi quid est, quod queri quisquam possit de Deo? Annon tecum ille egit prolixè? Aliquos supra te vides; at quanto plures infra te? Erit vir doctus in definiendo lentus, in asseverando minime pertinax. Quae reprobandus est, etiam atque etiam leget, verfabit, excutiet, ne quid ab eo temere in damnando affirmetur: minus circumspectum esse velim in laudando. Caveat ne non satis intelligat, quae damnat: ne cui notam iniustus est, majorem pro se rationem habeat, quam ipse contra eum. Consultivus fuerit nihil pronuntiare, quam ut condemnatio in iudicem ipsum recidat. Si hanc sive prudentiam, sive benignitatem animi in homine docto requiro, quid me sentire par est de illis, qui benedicta invertunt, & depravant, quo causatius existimentur convellere? Nam si flectere in melius & pium & utilissimum est multis, profecto magnum erit scelus in pejus detorquere. Ego *Adrianum Florentium* illum, qui postea factus est summus Pontifex, quum ad huc esset Decanus Lovaniensis, in publicis saepe disputationibus quaecunque autorum dicta a disputantibus citarentur, interpretantem pro se audivi, nunquam aspernantem, etiam si ex iis essent, qui adhuc vivunt, nempe Jacobi Fabri, aut Erasmi Roterodami. De vivis censendum cautius, de mortuis reverentius: qui sunt jam invidiae exempti, & redditi suo iudici: eamque subierunt censuram, quae omnes manet: idque potissimum de illorum vita, & moribus: nam de eruditione paulo licebit liberius. Eos per quos profecerit quis, citet benigne, *ne velit*, ut ait Plinius, *in furto deprehendi potius, quam mutuum reddere*, praesertim cum *sors fiat ex usura.* Olim adeo erant in suum cuique tribuendo aequi atque liberales, ut ne verbum quidem unum

authori

18
authori suo surriperent: declarant id Plato, Aristoteles,
Cicero, Seneca, Plutarchus, & alii: nunc & verba, &
& sententia, & argumenta etiam integra, nonnunquam inven-
ta & opera subtrahuntur: quod servile est admodum, ma-
gnarumque simultatum in studiis origo. Cui enim non
sit grave servos sibi suos abduci, ne dum filios? Utinam &
de hoc *plagio* aliquid cautum esset *lege Fannia*: nec ulla specta-
ri convenit discrimina vel patriæ scriptoris, vel sectæ, vel
ætatis: quemadmodum stultus ille populus, qui ut pru-
denter ab Horatio carpitur, *redit ad fastos, & virtutem æsti-
mat annis*. Non quin par sit, ut libri plus autoritatis
mereantur, qui jam tot seculis placuerunt, illisque tot in-
geniorum consensus approbationis suæ calculum adjecit:
de quibus omnibus una illa de scriptoribus sententia pro-
ferenda judicatur. Quid quod novitas omnis iudicium
præpedi videlicet nondum benè cognita? Qui in verbo
uno aut altero, aut multis etiam quempiam correxerit,
ne continuo videri postulet se esse doctiorem, aut magis
ad rem attulisse. Quod multi sibi ipsi stultè persuadent, ut
siquid in magnis authoribus corrigant, illis se protinus an-
teponi oportere autument: velut cum memoria seu in-
cogitantia magnus vir labitur; nam Horatio vel Hôme-
rus ipse *dormitare* nonnunquam videtur: aut quum linguæ
ignorantia fallitur quæ errata Græce, ac Latine semidocti
captant, magna sane iniquitate, qui à nobis eam cogniti-
onem Latini aut Græci sermonis exigunt alieni atque in-
sistiti, quæ in Cicerone, aut Demosthene vix fuit, vel in
quopiam ex illis, qui linguam suxerunt cum lacte, quique
populo universo uti quotidie poterant magistro, & de qui-
bus dubitarent, a cerdone vicino aut fabro admoneri. Quod
si isti tam acres censores subituri essent eandem conditio-
nem iudicii, mitiores credo se præberent suis reis. Haud
pauca

19
pauca iniquissimæ hujus severitatis habemus exempla, non
tam prisca, quam seculi hujus finitimi Vallæ Politiani, Be-
roaldi, Mancinelli: non pauciora ætas nostra tulit, ut
præteream in hoc genere calumnias, de quibus cum de
corrupta grammatica dicerem, sum locutus. Equidem
haud negaverim, quin notari magnos scriptores interfit e-
ruditionis. Sed non protinus plus aut idem adfert, qui
notas, & qui opus composuit. In autore alicujus discipli-
næ, boni consuletis errores alterius: ut in Theologo histo-
riæ, in historico primæ philosophiæ, modo muneri suo sa-
tis faciat: multo benignius linguæ peccata condonabitis:
bonam sententiam Gallice, aut Hispanè dictam amplecte-
mur, non accipiemus vitiose Latine. Ego vero cum Marco
ipso Tullio indifertam malim sapientiam, quam stultam lo-
quacitatem. Augustinus rectè, qui eo magis barbarismis ac
solacismis offendi homines ait, quo infirmiores sunt: &
eo esse infirmiores, quo doctiores videri velint, non rerum
scientia quæ ædificat, sed signorum, qua non inflari diffi-
cile est, quum & ipsa rerum scientia sæpè cervicem erigat,
nisi Dominico reprimatur jugo. Nolim tamen hoc sibi
nomine imperiti & sordidi scriptores plaudant, tanquam
res habeant, quia verbis carent: imo duplici crimine sunt
isti damnandi, quod cum rerum essent vacui, nitorem om-
nem, atque elegantiam verborum abjecerunt: nam si
res essent penes illos, indocti profecto atque iniqui esset,
de vocibus movere illis controversiam ullam, aut quere-
lam omnino aliquam: quo apparet multa esse verba ne-
quicquam Joanni Pico profusa in illa ad Hermolaum epi-
stola nobili: non enim res sunt apud Avenroëm & Sco-
tum, quod ipse sibi sumit, qui à nobis non tam ut spurci,
quam ut inanes culpantur. In scholis & tota vita quan-
tum cunque ob ingenium, iudicium, studium, eruditio-
nem

nem multiplicem, cognitionem variarum rerum late patientem laudetur quis: de virtute certè ac pietate laudari coram non oportet, ne levi illa extollatur aurula, & idipsum bonum de quo laudatur, amittat: nec absentem nisi parce, & de operibus quæ videmus. Paulus non vult quemquam *de se ipso iudicare aut sentire, supra id quod videat in eo, vel audiat.* & sapiens nesciri ait ab homine odio ne, an amore dignus sit: videlicet finis expectandus est in unoquoque hominum, animali ad mutationem promptissimo. Viri docti eo inter se debent esse affectu, ut juxta Pauli sententiam, nec invicem judicent, nec judicari ferant: sed utrique expectent patienter tribunal, & forum illud Domini sanctum & iustum. Judicans dementer, ac flagitiose agit, qui de conservo suo communi domino præjudicat. Judicatus autem tractet animo id, quo se Paulus consolabatur: *Ego vero nibili facio à vobis iudicari, ab humano die.* Dominus est, qui verè & justè est de me sententiam laturus: illius cognitionem reformido, illi quantum possum, me ipse paro.

Non deerunt magnæ eruditioni, qui invidiant: res altas & pulcherrimas morsu appetit livor, fœda & jacentia prætermittit illæsa. Themistocles Atheniensis homo, quod res ejus docuerunt, acutissimus, rogatus à quodam, an præclare jam sibi videretur agere: nondum, inquit; nam invidos non habeo, Quod si ea est lex, quam sibi humana malitia imposuit, ferat vir sapiens communem sortem, nec indignetur sibi accidere, quod omnibus. Nec à Deo contendat impetrare, quod ab eo pater filius non impetravit unicus, charissimus, ut in suo mundo deessent sibi calumniatores & malevoli, & divina illius opera in partem pessimam raperent. Vult ergo lege hac servus nequam domi alienæ solvi, qua filius domi suæ tenebatur

batur? Sed nec est tamen à bene faciendo propter invidos, & maleficos cessandum. Accipe Socratis Orationem, quæ est à Platone in ejus Apologia perscripta. *Sibi mihi viri Athenienses in presentia concedatis vitam hac conditione, ut ne post hac in sapientie inquisitione verser, diligo quidem vos, sed DEO certum est parere potius, quam vobis, ac quamdiu vivam, & valebo, philosophari atque unumquemque vestrum exhortari ad virtutem non desistam.*

Et quando is qui eruditionem est nactus non præsentibus tantummodo, nec iis quibus cum vivit, prodesse volet, verum absentibus quoque & posteris; sensa animi sui monumentis literarum addiurnitatem consignabit. Principio noscat se, & vires suas expendat, quibus polleat rebus, quibus sit scribendis idoneus. Aptissimi omnium sunt ad monumenta ingenii tradenda posteris, qui iudicio præditi vegeto & acri, ad conjectandum sunt dexterrimi. Qui vero diligentia solum valent, ingenio non item, ea sibi desumant, in quibus diligentia sit opus, non acumine. Abstinebunt ab orationibus, ab historia, cui conciones sint admistæ, à prima philosophia, à præceptis morum: tractabunt observationes, collectanea, nudos annales, emendationes authorum, collatis codicibus, quod fecit Valerius Probus, non addita sua conjectura: nam hoc munus est iudicii. Non ejusdem est & multa colligere, & de illis rebus exactam sententiam, & iudicium promere. Idcirco studiosi, qui nihil intermittendo multa legunt, multa audiunt, multa scribunt & colligunt, iudicio fere seipos privant præcipuo bonorum omnium in vita. Danda est suis studiis relaxatio, & vividius est iudicium animi non fatigati. Cursus, saltus, denique labores omnes fortius ac validius ex intervallo exequimur. Scripturo multum est legendum, meditandum, scribendum, emendandum

dandum, edenda paucissima. Harum actionum hæc est, nisi fallor proportio. Lectio sit ut quinque, meditatio ut quatuor, Scriptio ut tria, emendatio, ut redigat illa ad duo, ex his duobus unum proferendum in apertum. Ad hoc opus maximi momenti purior ab affectibus & sedatior accedat, quam ad aliud quodcunque, etiam pacem à Deo, & veniam precatus. Veniet illi in mentem vocem dissolvi statim, exaudiri à paucis, scripturam omnibus innotescere, & semper idcirco nunquam non lædere, quæ hic sint mala. Non sument in manus stylum, quamdiu ira, vel odio vel metu, vel ambitione, vel qua alia prava cupiditate agitantur. Si eam deponere non possunt, stylum citius deponant, ne quid veneni in opus transfundatur animo, id est, ex fonte.

Posteaquam scripseris, ostende iis opus, à quibus recte admoneri te posse confidas, eorumque sententiam attentus ac patienter auscultato, quam tecum æquo animo reputes, ut quæ videbuntur corrigas. Quanto satius est, ab amico privatim admoneri, quam ab inimico publice objurgari? Sunt tamen nova quædam inventa, quæ melius poterit author ipse arbitrari, ac judicare, quam alius quisvis. Primum quum pariet, ne afficiatur amore foetus nec dum visi: quæ res vehementer judicandi facultatem debilitat, quum prius quam cognoscamus, diligamus: quod parentes in filiis, faciunt, qui non dum natos, jam amant, quò fit ut mox censere de natis non valeant. Hinc quod Quintilianus consuluit, opus aliquantis per seponat, ut ad illud postmodum refrigerato jam inventionis ardore tanquam alienum redeat, lector, non autor: accedet multum iudicio ex dilatione, tum comparatione sui atque aliorum. Quæ omnia si probe sit executus opus tamen pergat placere, bonam debet author spem concipere, placitum quoque aliis. De e-

De emittendo in publicum versiculus est Horatii. *Ne precipitetur editio, nonnumquam, prematur in annum.* Ex cujus duabus partibus priori consentio, posteriori non item. Neque enim videtur mihi in tanta vitæ brevitate expedire, ut non demum annus foetum nobis pariat. Sed neque in universum potest dari certa regula propter varietatem ingeniorum, & operum: Satis fuerit admonitam esse cujusque prudentiam, non oportere editionem tanquam immaturum fructum ante tempus ejici. Nam reposita quacunq; necesse est iudicium antequam rite de illa statuatur quæ ad illam pertinent, omnia attente ac subtiliter circumspicere quod fieri cogitationes præceleres non sinunt, ut quæ intentionem mentis in unum aliquid rapiunt penitus, & à contemplatione totius avertunt: itaque fallitur scribens ipse, & falsus alios, qui se illius commiserunt fidei in eundem secum errorem trahit, quodque semel erit prævum, si de eo admoneatur à quoquam pertinaciter defendit, sine lapsus credatur, unde oriuntur sectæ, feracissimum rixarum seminarium. Sin ipse errorem suum sponte agnoscit, non emendat simpliciter, sed ambigue, ac perplexè, nomini magis, quam veritati consulens. Hinc sunt editiones fictæ, & refictæ toties, ut aliquanto post nesciatur quæ prima sit illarum, quæ altera, vel tertia, quæ autoris ipsius sententia, qua standum: idque fit tanto confusius & incertius, si quo secunda, aut tertia, & aliæ deinceps recognitiones non pervenerint. Neque vero me fugit esse nonnulla, quæ primo quoque tempore necesse erit evulgari: de quo genere sunt narratio reigestæ ad plurimos viventium pertinentis, tum quæ insectandi criminis in commune noxii, aut depellendæ à nobis calumniæ componuntur: ea satis fuerit diligenter esse à nobis excogitata & perscripta: nam dilationem res non ferunt: nec quæ

quæ sunt ejusmodi, præcipitata dici debent, sed maturata. Non desunt quæ deterit cura, non emendat: sunt enim ingenia tam subiti ac vividis impetus, ut eorum opera meliora sint *effusa*, quam *refusa*.

Quæ post editionem videbuntur auctori ipsi parum recte expensa, corrigat plane, aperte, simpliciter, magis de claritate veritatis sollicitus, quam de sua ipsius. Sed nec ipse jacturam ullam fecerit existimationis. Quis enim est usque adeo rerum humanarum expertus, & ignarus, ut nesciat optimos quosque, & sapientissimos viros tempore, ac studio in melius proficere. An ego excellentis ingenii virum nihil plus credam assecutum senem esse, quam juvenem? Iners profecto, ac miserrimum est ingenium cui non plus posterior dies, quam prior adfert. Si libri sint dogmatici sparsi jam & evulgati admodum, consultissimum erit librum correctionum exemplo divi Augustini componere, aut si quid erit addendum, secundam editionem seorsim dare, ut fecisse videmus Boëthium Severinum. Sin opus vel non continet dogmata, vel non adeo est diffusum, licebit, quod est apud poetam, *male tornatos incudi reddere versus*, & opus reconcinnare, atque etiam, si res ita ferat, retexere de integro. Quod si ab aliquo corrigatur, agnoscat beneficium & palam agat gratias. Veritas enim pro qua nos in acie convenit stare, nullius est propria, sed communis omnium. Quod si ille in eam inciderit, irasci te non oportet, illi potius gratulare felicitatem, quam & tibi licet esse cum illo communem. Sed procul dubio res ita habet: qui pro veritate certant, sic sunt animati, ut eam a quocumque inventam complectantur: qui autem pro suis inventis, id est, pro suo nomine ac gloria; tanquam aras & focos, quicquid ab eis prodierit, tueantur: cujusmodi sunt in omni quidem disciplina com-

plures,

plures, sed in iis potissimum artibus, quæ circa sermonem occupatae sunt, grammatica, poetica, Rhetorica, & ea, quæ cum his est conjuncta, *philologia*: primum quod peritia verborum, ut recte est ab Augustino scriptum, valde inflat: deinde quod horum opera magis videntur esse illorum fœtus, quam quæ philosophi, aut theologi conscribunt: Orationem enim orator peperit, poeta carmen: veritatem non peperit philosophus, aut theologus, sed natura: ideoque verax philosophus contradictionem opinionis suæ, naturæ potius interpretatur esse injuriam, quam sui. Atqui falsum comminiscitur, ægrius fert repugnari sibi, quam qui asserit verum: nam verum nemo gignit, falsum ex mendace ipso nascitur. itaque qui verum affirmat, propugnationem sui dicti naturæ, tempori, DEO committit; qui falsum, ipse sibi illius tutelam sumit. Accidit his quod verba velut facies & forma quædam sunt exterior, sensa autem interiora illa referunt, ceu valetudinem & mentem. Indignius vero formosi accipiunt cutem & lineamenta sua perstringi, quam boni suam virtutem: citiusque vir probus malum se appellari æqui bonique faciet, quam speciosus deformem. Quæ ad mores non pertinent, ea grave est ad alienum nos stomachum aut iudicium formare. In iis vero, quibus homines vel meliores fieri, vel peiores possunt, publicos præfectos esse aliquos examinandis libris expedit, viros iudicio, doctrina, probitate in toto populo præcipuos, ac spectatos.

Annotationes.

Pag. 7. Non quas ipsi veras reperissent) Non ignoro quid hic objici possit de modo docendi veterum duplici $\epsilon\theta\theta\delta\delta\epsilon\alpha\sigma\tau\iota\omega$ & $\epsilon\pi\eta\eta\alpha\upsilon\sigma\iota\omega$ & quod de priori verba Zeidleri sint intelligenda. Verum & hoc scio, invidios admodum fuisse occultatores veritatis veteres Philosophos, quod facile probare possem si id nunc agendum esset.

P. 11. Senecam ampullari agnoscunt) Licet Seneca non voluerit Stoicus appellari, prae ceteris tamen hypotheses Stoicae illi placuerunt. Et fatendum est Philosophiam Stoicam in multis videri affinem Christianismo; sed videtur tantum. Nam principia si spectes nihil in ea sani est.

P. 18. Quae quidem notiora sunt omnia) Doctis quidem illa sunt notissima, non item aliis, quibus tamen consulere voluit Celeberrimus Georgius Paschius Profess. Kiloniensis, qui hoc anno Schediasma de curiosis hujus seculi inventis edidit, in quo de Inventis Nov. antiquis in genere de disciplinarum hoc seculo in saeculo, de nova secta conditore Cartesio de aucta sensim doctrina morali, novisq. ejusdem accessionibus, de Inventis quibusdam medicis, de Inventis Physico-Mathematico-Mechanicis agit.

P. 21. Non ut illis fruatur sed utatur) De differentia fruitionis & usus eleganter differit Meisn. in proemio philosoph. sob. p. m. 1. & 2.

P. 25. Vel exaequemus vel super illa extollamus) Misturam Theologiae & Philosophiae alii aliter explicant. Optimè illam declarasse videtur Cl. Christ. Thomaeus. c. 2. introduct. in Philosoph. aulicam §. 33. seqv. qui vid. Quanquam mihi non probentur, quae de Pneumatica ibidem proponit.

Ibid. Philosophiam quandem Christianam) Contra hanc quoque solide disputat Laudatus D. Thomaeus citato cap. 2. §. 40. seqv. quanquam, uti dixi promiscuè omnia mihi non satis faciant.

P. 25. Syncretismo rationis & fidei) Concordia inter rationem & fidem locum habet, quod eruditè satis & prolixè nuper docuit Huetius in suis Alnetanis quaestionibus sed Syncretismus noxius semper est.

P. 31. Hodierna Scholasticorum Metaphysica) Non usum me hujus Metaphysicae carpere quis videt, sed abusum. Nam neminem posse nomen eruditi sustinere, si Metaphysicam hanc negligat, extra dubium pono.

P. 32. De Pythagorica omnium antiquissima in Europa) Communiter quidem Ionica vetustior habetur Italica sed si consideramus quantum cum applausu docuerit Pythagoras, ejus Philosophiam meritò dixerimus esse vetustiore, quia Thaletis obscurior fuit aliquandiu.

Ibid. Qui est ouoioros $\theta\epsilon\omega$) Nihil magis Christianum videtur quam hoc, & tamen latet anguis in herba, quod facile intelligemus si sciamus quid Pythagoras & Plato de revolutione animarum docuerint, de qua vid. Plato in Phaedone.

P. 33. Ut sic $\alpha\iota\omega\theta\epsilon\omega\tau\iota\omega$ illi) Scio quidem Stoicos sapientem suum tantum secundum essentiam non existentiam, adeoque in statu ideali considerare sed ex hypothesis tamen illorum sequitur illos in hac vita affectare istam divinitatem.

36. Lipsius ex Stoicis Christianos facere) Non hoc ita capiendum ac si Lipsius Stoicos in omnibus Christianè sentire docuerit. Magna enim Viro doctissimo injuria fieret, si id diceremus, praesertim cum in praefat. Manuductionis suae ad Philosoph. Stoicam ipse contrarium statuatur. Sape tamen Stoicos facit Christianorum gregales, cum illi nihil minus sint.

P. 46. Quod ad Cartesianam philosophiam) Verba quibus Clementissimus Rex noster in Rescripto illo utitur, sunt sequentia: Premissis praemittendis. *Wij hafwa i Nåde waret fororsakade att förordna en särdeles Deputation ut haf det wärdylige och andelige Stränd i bokelige wettenskapperne wähi förfahren till att stjärskäda och noga öfwerlägga eett wöd wär Academia i Ufsala swäfswande stridigheet/ herrörandes af den Aristoteliske och Cartesianiske Philosophien, hwilken Deputation effter ett wederbörlligie öfwerwägande af alt det / som till detta ährendet hörer/ änteligen med ett sådant beräntande hoof ost i Underdänigheet är inkommen/ som J med mehra ut haf bilagan kunna förnimma. Nu så som wij bilagte wehle hafwa den studerande ungdomens förkofring ut hi alla kostige boklige Konster och öfningar/ till det bästa befodrat. Allså kunnat wij*

ne wth en heller annorledes än aldeles gilla den förbemälate *Dpentations* mening och beträctande *Philosophiens* rätta bruk och öfning wth *Academien* beträffande / nämbl. at ingen sådan frisheet deruthinnan må vara tillåten / som i någon mäcto strider emot wår Christeliga troo och lähra / eller dhet som den helige Skrifte derom innehåller / såsom en heller hwad elstest wth Biblen omröres / under någon *Philosophisk Critik* lätteligen må dragas / emedan dhet som wthöfwer den Christeligen lähra i Biblen förmåles / inehrende his är skrifwit / Gudz underwäret och allmachi / eller Gudz folkz härtigheet till att wissa och berecna / men i der öfriga / och wthom den *D* Skrifte och Christelige troo och lähra effierlätes *Philosophiens* frisa bruut och öfning / sanningen med goda skähl och *experimenter* att uihleta och styrktas / sampt alla löstige wretensfaper att föröka,

P. 63. Pueros vel adolescentes) Intelligi hoc debet de cognitione Logices tali, que ad studium philosophicum est necessaria, si enim de usu Logices in eloquentie studio quaestio sit facile largior etiam adolescentulis illam proponendam esse, ut cogitationes suas ordinare in tempore discant.

